

*Ad psydracia, achoras, ulcuscula, & pustulas, quæ exanthemata dicuntur, capiti oborientes.*

Ad prædictos affectus adhibenda est idonea uictus ratio, corpus purgandum & caluaria, pilulis ex aloë, colocynthide, & scammonia, ita ut pilule quæ exhibentur, brassicæ succo exhibeantur: deinde loco induetur remedium, cuiusmodi est adiantum cum rosaceo illitum, aut sœnugræci decoctum ad abstersionem adhibitum, aut malua cum ordeacea farina cataplasmatis modo adhibita, aut melilotū cum sœnugræci farina ex uino applicatū, & cicerum decocto. Item ipsa cocta applicata prosunt, uel nuces amarae mansæ & illitæ. Discutit etiā maxime lilij radix, si locum ea abstergas: item thus cum uino et aqua & lupinorum amarorum decoctione ad abstersionem accō modatum. Bulbi cum nitro infricati, thus ex acetō illitum, malī granatī coria ex laurino oleo illita: ad hęc anchusę radices cremate tritacę ex oleo, ut sordium haheant spissitudinem, inunguntur pinna, & prosunt.

## CLAVDII GALENI PERGAMENI DE COMPOSITIONE MEDICAMENTORVM SECUNDVM LOCOS liber secundus, Ioanne Guinterio Andernaco interprete.

*De omni capitī dolore & hemicrania generalis doctrina.*



V I capitī doloris præsidia citra distinctionem literis mandantur, plus noxæ quām cōmodi ījs qui fidem ipſis adhibuerūt, attulere. Non enim ob unam omnes dispositionem corporis, capitī dolore infestantur, uerum & plures sunt hæ dispositio- nes, & propria singularum curatio. Vna siquidem dispositio ex simplici intemperie citra humores consistit, altera ex horū qualitate oritur, quemadmodum & tertia quēdam alia ex copia ipſorū duntaxat generatur: præterea quū hi humorū & uaporū transitus obstruxerint. Insuper alia habetur, quim ex imbecillitate quibusdam capitī particu- lis, spiritus flatulentus fuerit innatus: interim etiam ex causa quadā primaria, quā Græci procatarcticā appellant, utpote aſi u solis extrinsecus, aut frigore, aut ebrie- tate, aut iſtu. Vehementissimi igitur capitī dolores ex caliditate & frigiditate na- scuntur, præsertim quū inæquales extiterint: mediocres, qui ex siccitate proueniunt: humiditates nullus dolor comitatur. Pari modo etiam si propter humores re- dundantes, uel in omnibus capitī particulis, uel in una quacunq; uel duabus do- lor accidit. Vehementē sanè ex calidis & frigidis enascitur, mediocris ex ījs qui exic- cant citra caliditatē aut frigiditatē conspicuā. Qui humectant, nullum prorsus do- lorem inuehunt, quantum ad qualitatem attinet: etenim ob copiam instrumen- rios morbos cōciliant, nullum autem similarium, in quibus solis dispositiones ex intemperie simplici gignuntur. Quæ uero ex copia nascuntur, sine obſtructione ca- put quidem grauant, cum obſtructione uero mediocriter sanè dolorificæ, ob mo- dicas obſtructiones, ualde autem ob ualidas eueniunt. Quod si etiam mordacē ha- bet qualitatē humoris copia, hac quoq; parte dolorē augebit. Hæ sanè dispositio- num differentiæ, quantum ad causas efficiētes pertinet. Aliae uero ex particularū patientium natura sumuntur: aliquando enim extra caluariā affectus habetur, ali- quando intra, & nonnunquā omnium exteriorū uel interiorū est, nōnunquam non omniū est, sed unius generis corporū, nempe arteriosi, aut uenosí, aut neruosi, aut membranosi, aut cutis, aut ipsius cerebri. Difficillimū itaq; est locum affectū dignoscere, unus ne sit, an plures uno, aut quinam hi existat: imo nec dispositionē inuenire promptum est: sed hoc quoq; hominē requirit, qui se literarum studio ac ratione, multacę & continua ægrotatiū dispositionis inspectione exercuerit.

Proprietates

Proprietates siquidem nonnullae prorsus sunt indicibiles, nonnullae uix dicibiles, ægris corporibus oboriuntur, solis qui frequenter eas uiderunt notæ. Iam ex causis quædam primarijs, quas Græcorum medici propriæ solent procatareticas appellare, non mediocriter dispositionem simul indicant: quemadmodum ubi euidentes & sensus, & noxa, æstu solis, aut frigoris, ægrotantibus ipsis obuenierit. Ac facillimū est dispositionibus his recentibus mederi: recteç ab ipsis auspicati sunt medici qui auxilia distinctè prodiderunt. Multa igitur uetustioribus tum simplia, tum composita medicamenta huiusmodi dispositionum sunt conscripta: mihi uero abunde erit recentiorum remedia hoc in loco prodere, qui tum à senioribus inuenta tradiderunt, tum ipsi alia adiecerunt. Nam generalem singulos affectus curandi scopum ratio nos edocet, materiæ autem vires experientia, eocç præsidiorum multitudo ex hac augescit temporis processu: atq; iam tempus est propria uniuscuiusque dispositionis remedia sermone persequi, initio ab ijs sumpto quæ solis qualitatibus ex naturali singularum partium statu egrediuntur.

*Quæ Apollonius prodiderit de capitis dolore ex æstu solis contracto.*

Apollonius igitur in primo de remedij paratu facilibus ita scriptum reliquit: " Aduersus capitis dolorem ex solis æstu contractum, rosaceo caput frequenter superfundito, uel etiam lanam uel panniculū rosaceo intinctum imponito. Aliud. " Narcissino unguento similiter utitor. Aliud. Melino unguento in eundem modū " 20 utitor. Aliud. Sycamini succo per linteolū expresso, et rosaceo pari modo utitor. " Aliud. Portulacæ folia cōtusa, tum per se, tum cū polente tenuissimo polline illinito. " Aliud. Cupressum tenerā laeuigatā, & seorsum, & cum tenuissimo farinæ polline il- " linito. Aliud. Solanū per se, & cum tenuissima polenta inducito. Aliud. Sesamū " tritum rosaceo affuso imponito. Aliud. Vitæ folia cocta, laeuigataç in mulsa im- " pone. Aliud. Folia ricini cōtusa atq; in aquæ heminas octo iniecta, soliç exposita, " hinc in caput deturbato, deinde infra scriptis oblinito. Aliud. Conyzæ odoratæ fa- " sciculū xvi. digitorū in aquæ heminas octo iniectū, ad solemç expositum, leniter " superfundito. Alimento subtrahendū est, alius inaniri debet, somno & quieti in- " dulgendū. Vitari debet uini potio, sol, & balneū: præterea fomētum, clamor, cona " 30 tus corporis, omnis perturbatio mentis, agitatio: & in loco perspirabili degendū.

*Ad capitis dolorem ex perfrictione contractum.*

Irino unguento calido caput superfundito, utitor & lanis & panniculis eodem imbutis. Aliud. Laurino unguento similiter. Aliud. Farina cocta cum melicrato utitor. Aliud. Lauri folia tenera cum irino unguento trita in caput infundito. Aliud. Sampsicho laui cum uino aut rosaceo similiter utitor. Aliud. Cyperū con- " tūsum, & anserinæ mixtum adipi capiti illinito. Aliud. Cornu ceruīnū crematum, " & acetabuli mensura sumptū, cum duplicata uini odori mensura, & tritū illinito. Aliud. Conueniet etiam fatus per spongias calente aqua imbutas expressasç, præ- " fertim lauri folijs teneris in ea decoctis; aut sampsicho, aut cypero, item hapsimol " 40 lium lanarum, unguento irino, uinoç irrorati, circa caput accommodati: item id " operiri conuenit, foueri, cibis subtrahere, & uentrem inanire. Præterea somnus ex " usu est, quies, corporis conatus, animi hilaritas: uitari debet similiter clamor, ui- " num, & frigus. Hæc Apollonius scripsit remedia capitis doloris ex æstu solis con- " tracti. Græci autem uocant ἔγκενσις, caliditatem constantem, capiti ex æstiu sole oborientem. Omnes enim homines æstiu soli immorati diuitius, capite incale- " scunt: non tamē caliditas omnibus ex æquo perseverat, sed statim definit: nonnul- " lis enim etiam ante balneum, nonnullis uero iam lotis. Quibus autem perdura- " uerit, dispositionem capitis iam ex habitu, non ex schesi obuenisse opinantes, " ἔγκενσις appellant. Interdum igitur sola consistit intemperies, dispositione quæ " capiti innascitur ad calidius inclinante; interdum humorum aut uaporum copia.

ad ipsum emergit, præsertim cum quædam humorum redundantia, quam Erasistrati sectatores plethoram uocant, in toto corpore extiterit. Fit autem haec quatuor humoribus proportione auctis, aut solo sanguine. Nam cum aliquis aliorum humorum adauctus fuerit, qui sunt pituita, flava bilis, et atra, eiusmodi incrementum neque plethoram, neque simpliciter plenitudinem, sed cum adiectione uocant, pituita plenitudinem, aut flava bilis, aut nigræ corpori inesse dicentes. Qui autem ex aestu capite dolent, eorum cutis ad tactum calida est, & primo statim manus iniectu aridior apparet, oculi rubent, frigidæ superfusiones & inunctiones placent, ipsi scilicet iuuatur. Per initia igitur repellitoria medicina utendum est, ex refrigerantiū astringentiū mixtura confecta; mox mitigantium concoquentiumque medicamentorum aliquod repellentibus admisceri oportet: deinde quoddam digerens etiam adiiciendū, repellentibus medicamentis paulatim adimendo. Præstantissima ex ipsis que applicatur, sunt præcipue tenuiorū partiū substantijs prædicta: quocirca initio satius est, rosaceo probè confecto, frigidissimo caput superfundere, fasciam lanæ orbiculatum fronti circumponentes, ubi pars ipsius pilis obsita, desinit. Utrobiusque uero, quæ pilosa pars auribus committitur: deinde ab hac iuxta uerticem, non multo hoc inferius, neque enim occipitiū facile uritur, neque citra noxiam refrigeratio sustinet, eo quod in diæ principiū habeatur spinalis medullæ, que in neuos numero circiter sexaginta, ueluti truncus in multos ramos, propagantur. Sincipitiū autem dicti, regio capitum, eo quod coronalis futuræ compago laxa sit, ac ossa ipsius tenuia et rara sunt, ex faciliter tum calorem, tum refrigerationem omnium que inducuntur medicaminum intrò distribuit. Quare siue refrigerare aliquando caliditatem ex aestu solis contra etiam, siue calefacere perfrictionem oporteat, idonea est in sincipite capitum regio. Præstantissimum autem est per initia refrigerare ex oleo rosaceo frigido, tempore aestui, quando maxime ardoris solis affectus solet oboriri. Comprehensum à me est subinde, rosaceum illud esse optimū, quod ex oleo crudo aut omphacino, hoc est, immaturo conficitur: quippe bifariam ipsum nominant, sine sale preparato, rosas autem plurimis ei intinctis. Esto autem rosaceum non uetus, sed illo anno paratus, aut uere, aut ineunte estate. Secundum locum à rosaceo, chamælinum obtinet, in quibus corporibus uehementer refrigerationem moliri ueremur: hæc sunt mulierum, eunuchorum, puerorum, & eorum qui mollem carnem, colore albam obtinent, & soli non affluerunt. Quantum refrigeret rosaceum chamælinumque, ex commemorationis corporum habitibus, et estus magnitudine inuenire oportet, ita ut preterea inspiciatur ægrotantis etas, ambientis nos aëris temperamentū, maxime etiam ipsa domus in qua æger decumbit. Refrigerabis autem que adhibes, aquæ admodum frigidæ impones: cuius copia si non detur, niue uas circumlines. Huiusmodi præsidiū, etiam si humorū aut uaporū copia ad caput impetu fecerit, generose adiuuat. Nam hec repellunt, & deorsum ad ima corporis detrudunt. Quapropter ego in innumeris hoc curationis modo usus, aliud non desiderauit: etenim frigidorum fontium facultas Romæ est multa, & niuis, quemadmodum etiam apud nos in Bergamo & plurimis Asiae & Græciae ciuitatibus. In calidis regionibus, cuiusmodi & Aegyptiorum est, ubi & frigidorum fontium & niuis inopia laborat, necessarium est rosaceo prius frigefacto, inde quod tota nocte sub dio steterit, ad auram quamquam conuerso, in iuncte sic semper uiui succū, aut portulace, aut lactucæ, aut psyllij, aut polygoni, & solani aliquando exiguum, pampinorū uitis & uuarum immaturarum: adhuc enim inimaturæ sunt aestatis tempore. Papaueris & mandragoræ succus caueri debet, ut qui non citra offensam refrigeret: uitari etiam, que cum eo quod refrigerant, manifestè astringunt. Quare cum necessitas aliquando ingruit, exiguum inde refrigerantibus miscendum est. Huius gratia etiam solani succum, aut neutiquam miscemus, aut prorsus exiguum: ita & mali granati & malii

mali cotonei et mespili. Potior autem succus granatorum acidorum in hanc rem existit, ut qui magis refrigeret. Huius autem penuria ego quandoque in agro cucurbitae ramentum exuccatum, iuuae immaturae succo miscui. Ut si possit aliquis in huiusmodi loco etiam succo sereos & lactucae syluaticae, quam Graeci propriè nominant *βειδανίων*: nam hortensem uocant *βειδανα*. Iam sycaminorum succus ad refrigerandum idoneus est: sicut autem non admodum matura. Quod si æger caluus sit, aut omnino breves capillos possideat, plurima refrigerantia facultas est. Quæ enim erysipe latum nouimus præsidia, per cataplasma, & ceromata liquida, ea omnia sole adutis congruit. Apollonius etiam ricini folia tenera contusa in aqua censet mittenda, 10 deinde nocte tota vase sub diò prorsus collocato, in quo haec continentur, postero die ipsis utendum. Ego itaque non adeò ricini facultate expertus sum, sed uerisimile est Apolloniū in Alexandria commoratus multo tempore, per longā experientiam uim ipsius cōprobasse. Oleum sanè ex ricino factū noui planè, eo quod apud nos est facultate calidius; idcirco ipsius inopia, ueteri utimur. Puto etiam potamogitonem & niliacū stratiotem nonnihil refrigeratoriū obtinere, ac miror quomodo non Apollonius ipsorum meminerit. Quin & tribulus apud nos, sicut et polygonū ipsa quoque nonnullam refrigerandi uim repræsentare, tenera nimis & nondum dura sicca facta. Conyza uero non modo non potest refrigerare, sed etiam calefa cere mediocriter posse noui, mirorque quomodo Apollonius ipsam inter refrigerantia posuerit. Quod si ab arboribus aut fruticibus auxiliū capiti, quæ natura exigit calidiori, præbere oporteat, uitex cōmodior ad hoc est, & uitis, & lentiscus, & platanus, si quis teneris ipsarum germinibus cōtritus succum exprimat. Erasistratus ait ad præseruationem plurimum conferre in calidis habitibus, quando insolatus exponentur, si spongiam latam, densam cauamque aqua imbutam, & uehementer expressam capiti inducas. At si frigus nocuit, contraria ijs qui ex solis aestu dolent, signa affectos testantur: etenim facies ipsorum non cōcidit, sed colorem decorat, amicit: item frigidis nec gaudent, nec iuantur. Quemadmodum autem aestus solis non est contumax dispositio, ita neque perficitio ex ambiente contracta, ægrè curatur recens. Verū rutaceum oleum calidum sincipi superfulsum, ut dixi, in totum hominem liberare potest. Quod si uehementiore opus sit calefactione, iniçere euphorium oleo, & quæ ex pipere paratur oportet. Inungere autem unguentis hisce conuenit frontem, et nariū meatus, maxime irino, amaracino, et nardino. Comptoria autem ex his quæ calefaciunt habetur etiam preciosa opulentarum mulierum unguina: uocant ea Romanorum nomine foliata & spicata. Orobalsamū subinde expertus sum, nihil manifestò iuuasse dispositionē, que calefieri desideraret. Quemadmodum autem rutaceum conuenire dixi, ita etiam sampsuchinū & laurinum commendo, item serpillinum, frequenter et in multis ipsis usus. Dare uinum tenuium partium, & motu uti præcipit, balneis calidis, & nonnunquam à radicula uomitu.

*De diuturnis in capite dispositionibus calidis & frigidis.*

40 In diuturnis quæ capitib[us] dolorē adferant dispositionibus, necessarium erit caput ipsum radere, uel ad cutem tonso admodum, medicamenta applicare in emplastrī ceratiisque speciem facta & liquida. Quæ igitur emplastrī modo & cerati sunt confecta, capiti deraiso; liquida breuissimos habenti capillos induces. Est autem & horum materia multiformis, utpote cum haec magis, illa minus refrigerent & calefiant. Itaque refrigerantia ab ijs quæ erysipelatis medentur transferre, calefientia ex ijs medicamentis quæ calefaciunt conficere oportet: quorum simplicissimum quidem est quod ex euphorbio paratur. Sufficit autem una euphorbiū uncia tribus ceræ in olei libra liquefactis indere: uti uero oleo ad omnes affectus qui calefieri desiderant, neque iminaturo, neque eo quod omnes spanū nominare solent, neque prorsus cum germinibus olea preparato: sed quale est quod ex maturis oliuis cōfit apud multas

Oleum Sabinum  
unde dictum.

gentes, sine germinū iniectione. Præstantissimū autē eorum quæ noui, Sabinū est, non procul à Roma, in Sabinorū agro nascens. Quę aut̄ recentiores medici, qui se methodicos nomināt, μετανούνται, hoc est, recorporatitia medicamēta uocant, omnia eiusmodi affectibus utilia sunt: quorū præstantissima in operis superioris septimo libro à me sunt cōprehensa. Tempestiuū igit̄ iam est ad aliā capitis disposi-  
tionē digredi, ascriptis primū īs quę Apollonius tradidit, quæ ad uerbū sic habet,

*Quę Apollonius ad capitis dolorem ex ebrietate & meraca potionē contracutum tradiderit.*

» Utendū omnibus suprascriptis remedījs ad capitis dolores qui ex æstu solis ge-  
» nerantur: ubi uero dolores magis inualescunt, rutæ folijs ex aceto & rosaceo tritis,  
» ut sordium spissitudinē habeant, caput illinendum est. Aliud. Nucibus amaris ex 10  
» aceto & rosaceo ad sordiū spissitudinē detritis, caput inungendū. Aliud. Irise sicca  
» & uitice sicca ex aceto & rosaceo cōtritis similiter utitor. Aliud. Bacca lauri & ru-  
» ta folijs ex aceto rosaceo q̄ lēuigatis utitor. Cōducet aut̄ somnus, inedia, quies, cor-  
» pus nō mouere, aquā calidam & mulsum bibere, corpus uacuare. Hæc sanè Apol-  
lonius cōscrīpsit, eiusq̄ rei gratia cōmendare uirū oportet, quod distinctionē singula  
præsidia tradiderit, quū ne Archigenes quidem id faciliauerit, quem, ut posteriorē  
Apollonio natū, aliquid accurate distinctionū narrationi apposuisse cōueniebat.  
Verū quæ ab illo in priore libro medicamēta scripta sunt, paulò post explicabun-  
tur. Quę aut̄ ego longa experientia probauerim in capitis dolore ex uini potu con-  
cepto, iam enumerabo: qui spem sanè auxiliū, quod ipsa præstant, ex dispositione 20

Vina calidiora  
καρπαθιαλησικά.

inuenerim: exactā uero eorum probationē multa experientia sim molitus. Nam  
calidiora temperamēto uina capitis dolorē generatiā, vaporibus omnino caput,  
interim humorib⁹ etiā, qui temperamētis calidi sunt, replere iudicantur. Etenim  
sine uini potu etiam tales ad caput prompte ferunt. V̄sus igit̄ curationis est, que  
habeat scopum generalē quidem primū omniū communē, uacuatione indigentē.  
Quoniā uero uapores, qui caput replerūt, calidi existunt, usus est auxiliū, qđ ipsos  
refrigeret. Itaq̄ si uinū crudum intus permanet, iubere prius cōuenit eis qui capite  
dolent, ut aqua tepida epota uomāt. Quod si uero etiam post concoctionē doleāt,  
refrigerati⁹ uti & repellenti⁹ oportet, quale est rosaceū & per se et cum aceto,

Braſīce folia  
ebrijs cōgrua. aut cum hederæ aut braſīcæ succo. Iam ipsa braſīcæ folia imbuta calente aqua, &  
capiti circundata illigataq̄, naturali ui ebrietati succurrūt. Habenda aut̄ cura est so-  
mni & quietis: ac ubi hæc facta fuerint per totū diem, ad uesperā lauare: ubi laue-  
ris, nutrire oportet cibis boni quidem succi, non tamē calefacientib⁹. Sunt huius-  
modi ptisanę tremor, sorbitio ex halica, panis cum aqua, oua sorbilia sine garo: ad  
misceatur aut̄ ipsis mellis quantū ad dulcedinē conciliandam sufficit: sin autē qui  
assumunt parū aptē ad id sint affecti, salis edulcorati. Ex holeribus lactuca & boni  
succii est et refrigeratoria; braſīcæ uapores desiccāt. Sic etiam ex leguminib⁹ lenti  
cula. Ceterū potu omnino aquæ utendū est. Verum quia nonnullorū stomachus  
ob aquæ potionē perueritur, malum granatū ipsis concedendū est, aut solū per se,  
aut cum halica molli, probè cocta, calida. Item cestiana dicta mala Romę, citra co-  
ctionē austera sunt: cocta uero stomacho idonea redduntur. Coquere ea cōuenit  
in olla recēti, aqua calida superfusa: deinde malo in uase suspenso suburere ollam,  
quo uapor calidus ex aqua emerget ipsum coquat. Vuę & pira quædā cruda, que  
dam cocta, ut malū cotoneum, stomachū corroborāt. A glandibus et palmulis ab-  
stinere consilium est, ut quę proprietatē quandam doloris in capite efficacem obti-  
neant. At si neq̄ his remedījs commode possint obdormire, in balneum postridie  
quamcūtissime ducendi sunt, & aqua calida frequenter in eo superfundendi: de-  
inde somno conciliato, aut omnino quiete interea, rursus ad balneum secundo  
deducere oportet, deinde sic nutrire, ut die præcedenti. Quod si mediocriter ha-  
beant, nequeant que aquam bibere, permittendum est ut aquosam potionem ex  
uinis

uinis assumant, quæ græci *υδατῶδε* nomināt, quale est in Italia Sabīnum, in Asia Titacazēnū & Arsyenium, Ariusiumq;. Cibi dabuntur ipsis, ubi meliuscule haberint, gallorū testiculī & alæ, pisces faxatiles & molli carne præditi, columbæq; pullus. Incoquantur hæc omnia sine garo & uino, albīs & simplicibus iusculis, in quibus aqua sola est cum oleo, anetho, porro exiguo, & salis momento indito, nō statim coctionis initio, sed quādo iam cœperint intabescere. Porrò constat omnibus, satius esse & ipsos, & omnes qui capite dolent, cum quidē dolor adhuc auge- scit & uiget, cōquiescere; ubi remittit & declinat, idoneis locis obambulare. Aptā aut̄ sunt hs qui calefieri desiderāt, calidiora; qui refrigerari, frigidiora: & ante cibū *labor ante cibum*.

obambulationibus pluribus utendū, secundū cibum paucis & lentis. Cōuenit aut̄ cibum.

neq; esse multū, neq; statim obambulare, sed post duas tres ue horas, aut etiā plures. Quod si aliquando ex uaporibus humoribus ad caput tendentibus reliquæ aliquæ tenuibus impactæ meatibus restent, eoq; aliquid doloris perseveret, à rosa ceo desistendū est, utendū uero primū chamaelino moderate calido, post hoc iri no: nam huiusmodi dispositiones uehemēter adiuuat. In balneo caput aqua perfundendū, non solū ut aliquid eorū, que intra ipsum habentur, discutiatur, uerū so- mni etiam cōciliandi gratia: quocirca & secundū uel tertīū lauacrū uesperi parari cōuenit: cibum deinde lactucas ex aceto assumere, quod paucissimū sanè, aut prorū nihil gari, plus aut̄ aquæ habeat, ut æqualis sit aceto, nīsi omnino aquosum exi- stat: quippe tali etiam magis indigent quām acerrimo, ut quod caliditatis nonni- hil obtineat. Post hæc die subsequenti ea quæ caput magis calefaciūt, applicabun- tur, miscendo irino unguento, nunc amaracinū, nunc nardinū, nunc preciosa, qui- bus opulentæ mulieres, et si nihil malū habeant, uti consueuerunt. Hac ego ratione capitū dolores ex uino, curauī semper, nullo ex hs quæ Apollonius conscripsit, usus: quomodo enim per ea, quæ dixi, uotī mei compos factus sim, & nullum ab Apollonio scriptum spem mihi præbuit, recte esse dictum, superfluum erat hæc in experientiam ducere. Post commemoratas superius tres dispositiones capitū doloris efficaces, Apollonius quartam hanc subiecit.

*Ad capitū dolorem, ex istū uel casu, Apollonij.*

30 Rosaceo acetōq; tepefactis caput perfundit. Aliud. Rosis siccis, maxime quidē „ coctis: sīn minus, maceratis in passo, aut mulsa, leuibus caput obducito. Aliud. Me „ Iiloto cōsimiliter parato utitor. Aliud. Myrti albīs folijs teneris, cum uino & myr „ rha detrita, obducito. Aliud. Irino unguēto & aceto oblinito. Aliud. Absinthiū lat „ ue cū uino & myrrha in puluerē redacta, applicato. Aliud. Pulegio lœui cū uino „ similiter utitor. Aliud. Pulegio & myrrha detritis, simili modo utitor. Aliud. Apīj „ coma cum uino cocta, lœuis admouēt. Aliud. Mala cotonea cocta ex uino admo- „ ueto. Cōueniet etiā fotus per spongas aqua calente imbutas, & hapsi mollium la „ narū, aceto & rosaceo madefacti. Præterea quies, corporis recreatio, subtractio ci- „ bi, euacuatio, noxiorū abstinentia. Hec aut̄ sunt sol, lauacrum, uini potus, clamor, „ distentio, & inter ea quæ in cibo offeruntur acida, acria & salsa. Hæc sanè Apollo „ nius tradidit de capitū doloribus, qui ex manifestis iictibus oriūtur. Nossē autē etiā „ nos oportet eiusmodi dispositionē non aliam esse quām inflammationē, quæ non καρακλήσις „ solum ex iictū aut ruina, sed etiā sine causa manifesta in omnibus corporis particu „ lis, ex humorū influxu creari solet. Si igitur iictus, uulneris aut cōtusionis causa fue- „ rit, scopi plures erūt remediorū inuentionis. Vnus sanè qui propter uulnus existit, „ cuius causa glutinatibus medicamentis et inflammationē arcētibus uti cōuenit, oris „ ulceris fibula prius cōmissis. Secundus, qui ob contusionē: & tertius, qui dolorū cau- „ sa adhibet: qui aliquādo sanè in ipsis solis iictis particulis oboriūtur, plerūq; uero „ etiam cōtinuis transmittuntur. Nam membrana caluariae circūdata, quam græci „ uocant περιφερία, & cutis hūic extrinsecus exorrecta, cōtinua, utraq; peculiare

substantiā obtinēs, ad totum expansa est caput, & huius ratione fit sāpe ut ipsum  
dolet, præsertim si ictus ad membranam ossi circundatam usq; pertingat; quem  
membrana pericranio dicta, diuisa rasaq; curare oportet, ratione qua caro cōmit-  
titur. Quod si aliquid inflammationis pericranij communione, quam per futuras  
cum dura cerebri membrana habet, etiam intra caluariā transmissum fuerit, eius-  
modi capitū dolor periculo nō uacat. Cæterum non raro accidit in ruīnis ex alto  
aliquā cerebri aut membranarū particulam abrumpti; quod ubi contigerit, adhuc  
magis capitū dolor uehementior euadit, & dispositio tota curatu difficultior, et pe-  
riculum præsentius & uehementius. Optimum igitur in his, nisi ætas prohibeat,  
& uis uitalis imbecillis appareat, curationis initium à sanguinis dimissione moli-  
ri, & congruis superfusionibus in capite uti, lanas oleo dulci madidas ipsi circum-  
ponentes. At si prohibeamur propter horum aliquid, aut ætatem, aut uirū im-  
becillitatem, aut etiam propter utraq; sanguinis detractionem tentare, clystere  
uentrem euacuabimus, etiam ipsiusmet gratia, ut huius excrementa euacentur;  
multo autem magis reuulsionis gratia, quod humores ad affectas partes soleant  
deferriri; mox auxilijs utemur ad inflammationem inscriptis. Sin autem membra-  
na fuerit conuulnerata, probè hanc conglutinat, ut ait Archigenes, calaminthæ  
succus instillatus, & farina miliaris arida inspersa; deinde butyrum, rosaceū, adeps  
suilla salis expers, uetus, mixta & tepida superfusa. Abstinere tales oportet à ui-  
no, & cibis plenioribus, præsertim si febricitent. Comprehensam sanè uacuationē  
consulit quidem et Apollonius: qualem uero hanc fieri conueniat, non indicavit;  
acetū tamen rosaceo miscere iubet, quemadmodū in phreniticis et lethargicis per  
initia affectuum pleriq; medici uti consueuerunt. Neglexit autem nō recte etiam  
mensurā utriusq; indicare, empiricorum simili transgressu usus, non dogmatico-  
rum indicatione; etenim dispositio nobis præsidia subindicat. Mensuram uero  
uniuersiūs & particularem in materijs differentiā suggesta, ægrotantis temperamentum, & præterea uis uitalis: deinde ætas, circunflui aëris tem-  
peries, aliās alia apparens, ratione locorum, anni temporum, & præualentis anni  
status. Quū igitur in phreniticis omnia quæ intra caluariā habentur, & quæ iu-  
xta cutem & iuxta membranam caluariae obductam ab affectu fuerint immu-  
nia, decenter miscuerunt acetum prīmī illi medicamēti compositores, illa ratione  
persuasi, quam in commentarijs de compositione medicamentorum plenius re-  
censui, quum dicerem dispositionibus in alto corpore oborientibus adhibenda  
esse medicamina dispositionum per summa infestantium: quippe omniū ipsorū  
uirtus dissoluitur, dum in altum permeat: eoq; nonnunquā proprijs affectus pre-  
sidijs miscemus medicamenta facultatis & contrariæ & nocivæ: etenim inflamma-  
tionis dolorificæ aduersissimū est remedij acetū admisceri, ut quod neq; mitigato-  
rium quippiam, neq; laxatorium habeat. Sed quum per sinciput (non enim per  
aliā quandā capitū partem, medicamenti uim intrò peruenire uoluerimus) ad-  
miscere aliquid eorum quæ ex sua ipsorū natura auxiliantur, & ad penitiora hoc  
deducant, cogimur, inuenientes tenuē quandam substantiā, interim frigidā, ut ace-  
tum, interim calidam, ut euphorbiū: insipientesq; dispositionem quæ curatur, ca-  
lefacentibus ne indigeat, an refrigerantibus. Hac igitur ratione si rosaceum ipsi  
crassæ membranæ nudæ admoueat, ut in ijs quibus aliquid ex ossē capitū excin-  
ditur, accidit, solum ipsum applicamus modicē tepidum: quum uero per capitū  
partem, qua sinciput est, caluaria manente incolumi, rosaceū uolumus ueluti du-  
cere ad membranā, ita ut ea non denudetur, acetum ipsi miscemus, quod illud de-  
ducet: cuius rursum uehementia uirtutis permeando & rosacei mistura dissoluit.  
Itaq; Apollonius peccauit, qui indistincte acetum rosaceo miscere iussit: nam  
cutis capitū, aut post ipsam pericranij membranæ inflammationes, quæ citra ua-  
lidum

Calaminthæ  
succus.

lidum quidem dolorem oboriuntur, possent utiq; iurari mixto acetū momēto ro-  
saceo; offendentur autem, quum & ipsæ magnæ fuerint, & dolorem uehementem  
inferunt. Iam uero deliquit Apollonius etiam, quod utendi tempus singulis ab eo  
conscriptis remedij non apposuerit. Nonnulla enim incipientium & quæ gene-  
rantur adhuc inflammationū sunt præsidia. Quædam etiam uigentium, aut decli-  
nantium, aut in scirrhū occalcentiū. Rosaceum igitur cum aceto incipientiū,  
& nascentium adhuc: uigentium autem solum rosaceum, sicut in scirrhū occal-  
lescentiū, in quibus ablinthium & pulegium admiscemus: ita quæ citra scirrhi  
generationem declinant, laxantibus indigent medicamentis. Cæterum compre-  
hensa est ipsorum tum materia, tum compositio superioribus commentarijs, prius  
quam huc perueniretur: ubi docetur etiam locos affectos non parū unā cum affe-  
ctibus præsidiorum inuentionem indicare. Quatuor igitur dispositiones quum  
Apollonius scripscerit capitis dolorū efficaces, quæ fiunt ex caulis manifestis: de-  
inde quod ad eas sit transgressus quæ ab obscuris procreantur, bona quis ratione  
ipsum accusauerit: non quod à dogmatica disciplina discesserit, sed quod ne empiri-  
crica quidē usus sit. Nam & illi distingunt affectus, syndromis ab ipsis appellatis,  
quæ accidentium sunt collectiones, omnibus euidenter apparentia: in quibus  
syndromis etiam primituras causas, seu totius syndromes particulas ipsi compre-  
hendunt. Sed nullam eiusmodi collectionem accidentium & signorum Apollo-  
nius conscripsit, ut discemus, si & his uiri uerbis animum diligenter aduertamus.

*Continua superiori oratio Apollonij ad temporum dolores, & totius capitū,*  
*citra manifestam causam obortos.*

Mendesio unguento caput inungito. Aliud. Adipem anserinū mendesio un-  
guento subactum illinito. Aliud. Myrrham uino quām optimo tritam, ad ptisanę  
cremoris spissitudinem inungito. Aliud. Myrrham unguento preciosissimo per-  
tritam similiter adhibeto. In pueris autem sincipite laboratibus, myrrha cum oleo  
trita utitor. Aliud. Viticis semen tritum, & in aqua subactum applicato, uel in lin  
teolum illitum imponito. Aliud. Loliaceam farinam cum adipi anserino unā la-  
uigatam admoueto, adipi prius liquata. Aliud. Portulacam per se & cum lini se-  
mine tritam imponito. Aliud. Oleaë folijs tenerrimis cōtritis, oleum nigrumq; ui-  
num affundito & applicato. Aliud. Cinerem, si habes, acetū subactam aut aqua,  
capiti superfundito. Aliud. Solanum & terram fīcilem tritam lauem applicato.  
Aliud. Halicabī semine trito cum adipi anserino aut unguento balanino utitor.  
Aliud. Folia lentisci trita in aqua applicato. Aliud. Blito trito cum oleo subacto  
utitor. Aliud. Ricini semen tritum ex aqua applicato. Aliud. Coriandri semen &  
anethi lauigatum melliq; mixtum applicato. Aliud. Melanthium tritum & oleo  
subactum, applicato. Aliud. Cuminū & adipem anserinū lauigatum impo-  
nito. Aliud. Meconij fabae instar Aegyptiæ, & salis partes duras, pulegijs partem  
unam tritam ex acetū & unguento quampræstantissimo, illinito. Conueniret aut  
cibo subtrahere, uentrem inanire, caput regere, præterea conquiescere, & omnem  
uitare motum. Quod igitur Apollonius indistincte, ut dixi, in capitū doloribus  
sine causa manifesta obortis, remedia conscribēs, duplī modo peccauit, qui nec  
ut dogmaticus uir dispositiones protulerit, necq; ut empiricus syndromas, ex ipsi-  
usmet uerbis didicimus. Quod uero & medicamentorum uires non parum inter se  
differunt, licet condiscere, si totas ipsorum uires perlegas. Etenim primum ab eo  
scriptum simplicis est facultatis, laxantis: quippe talis habetur mendesij ungueti  
uirtus. Habet autem uim intensam, secundū: in quo miscetur mendesio unguento  
anserinus adeps. Tertium propter myrrham siccata & calefacit, uini ratione astrin-  
git, in quibus superfluam humiditatem repellere simul & discutere nobis propo-  
situm est utile. Nouimus autem myrrhæ odorem plurimis sanis capitū dolorem

Narcoticis quan  
do utendum.

cōciliare, quare eos ipsos capite dolentes nō parum offendit. Eiusdem facultatis est cum hoc prēsidio, & tertium & quartum: quintum uero non prope ad horum uim accedit, quum ipse cataplasma composuerit ex aqua & uiticis semine, non solūm inferius multo ijs quae ex myrrha parantur, utrīsq; facultatibus, calefaciēti & siccandi, sed etiam cōtrarium efficere idoneum, ijs qui ex frigore caput dolent. Quod post hoc scriptum est, ex loliacia farina & adipē anserino constans, in quib; siccari volumus, accommodatur: non in capite solum, sed in alijs quoq; partculis bona ratione assumendum: hoc autem propter anserinum adipem citra molestiam siccabit: est enim nimis quam lene & mite medicamentum hoc. Verum subsequens de quo ad uerbum sic scripsit: Portulacam per se & cum lini semine tritam imponito: refrigerans est medicamentum non ignauiter, calidis dispositiōnibus conueniens. Quod post hoc scriptum est in eum modum: Olea folijs tenerimis tritis oleum uinumq; nigrum affundito & applicato: dolorem quidem non mitigat, sed humorum euacuat superfluitatem. Quod subsequitur, ualidam obtinet uirtutem, in quo iubet cinerem aceto, uel aqua subactam capiti superfundere. Si quidem ex aceto præparatum est, diuturnas dispositiones in scirrum induescentes curare potest, non tamē dolorem lenire. Quod si ex aqua cinis percoletur, robore multum aberit ab eo quod ex aceto constat: mitigatorum autem doloris ne sic quidem erit, sicut neq; ipsi proxime scriptum, quod ex fictili terra & solano cōponit. Ceterum curiosam indicat præparationem Apollonius in eo quod ex halicacabi semine cōponitur, quod nihil habet amplius, neq; prædictis, neq; mox dicendis: quemadmodum & subsequentia singula, cum alterius alterum sit facultatis. Non recte autem fecit, qui indistincte conscripserit: quid enim simile habet cataplasma ex blito cum oleo laevigato factū, cum illo quod ex ricini semine, aut coriandro, aut melanthio constat. Etenim hæc calefaciunt & desiccāt: blitum uero imbecilliter humectat & refrigerat. Quod autem ad calcem sermonis positū est, omnino ne in uno quidem usurpari unquā experientiæ gratia consuluerō, ne dum frequenter. Nonnunquam uero cogimur uti medicamentis ex opio, quum homo in periculo est, ne uehementia doloris moriatur. Noxa autē quædam tunc quoq; solidis particulis obuenit, quæ requirit instaurationem post hæc adhibendam. Sic etiam collyria ex opio multos offendunt, ut imbecillem oculum reddirent & hebetudinē dictam: sicut & grauem auditū, quæ ad aurium dolorem uehementem ex lachryma papaueris cōponuntur, excitarint. Verum ob uehementē capitis dolorem, neq; aliquis animi deliquio mortuus est, neq; seipsum occidit, ut nonnulli colicorum. Quomodo cunct; enim doleant, absunt ab ijs qui colo dolent, aut aure, aut oculo, aut dente. Leniuntur autem superfusionibus et cataplasmatis:

Quæ Archigenes tradiderit auxilia ad capitis dolorem.

Omissa igitur iam Apollonio, ad Archigenem digrediamur, qui in hunc modū scribit in priore libro operis, quod inscribitur de medicamentis secundum genus. Archigenis ad capitis dolores sine febre oboriētes. Communiter initio benefacit aquæ potus, cibus paucus, alui solutio. Hæc præfatus, deinde scribit uaria medica menta. Præstare igitur mihi uidetur unamquæ ipsius orationē separatim propositam inspicere, ac primum initio cōmendare, quod manifestò distinctionem à febri posuerit. Fuit igitur & Apollonius nō uulgaris medicus, sicut & Manthias & Heraclides empiricus: uerum Archigenis circa artem diligentia hoc quoq; accedit, quod illis ètate successerit. Maximum autem hoc est ijs qui uerè quamcunq; artem rationalem uolent ediscere, quum etiam nati sint ingeniosi, & per ætatem puerilem in primis disciplinis exercitati. Pleriq; uero ex ijs, qui eiusmodi artes aggrediuntur, non fieri in eis sapiētes, sed uulgò tales uideri student. At Archigenes, si quis alias, ediscere ita medicam speculationem conatus, meritò commentarios insignes

insignes plurimos reliquit. Non tamen in omnibus quæ tradidit irreprehensibilis esse mihi uidetur; sed quemadmodum ipse à quibus uiris adiutus præstantissimus euasit, horū multa coarguit, ita & ipsum par est aberrantem, à nobis, qui post eum natū sumus, reprehendi. Difficile enim, homo quum sit, nō aberrare à multis, dum alia in totū ignorauerit, alia perperā iudicauerit, alia negligētius scripserit: quemadmodum & nunc mihi uidetur falsus in distinctione eorum qui non febricitant à febricitantibus, quod non apposuerit omnes febre parentium distinctiones.

*De ijs qui ex stomachi uitio capite dolent.*

- Statim igitur prima inter eas est doloris capitū qui à stomacho excitatur. Non nulli enim, etiam si exiguis quidam in uentriculo, & præsertim si in eius orificio humor acris sit collectus, illico capite dolent, eoç diutius à cibo abstinentes offenduntur. Augescit enim ipsis propter inediā talium humorum prauitas. Curari igitur eos qui sic infestantur oportet, nihil capite admoentes, siquidē neç ullum peculiarem affectum sustinuit, sed ab humorum uentriculi uapores prauos excitantium ascensu molestatur, ueluti alijs ob eiusmodi humores suffusorum symptomatis incident. Quæ igitur curatio: noxios uentris humores quamcelerrime uacuare. Vacuantur autem facile ijs qui ad uomitum proclives sunt, aquæ potu: ijs qui ægrè uomunt, difficilius: quippe nōnulli etiam si digitis, aut pinnis in os dimissis, ad uomitum incitent uentriculū, nihil plus proficiunt. Talibus igitur protinus cibum boni succi & stomacho idoneū offerre conaberis: si fieri possit, lotis: si minus, ante balneum, tantum cibi exhibētes, ne, dum lauant, offendantur: ubi se refecerint, modicum absinthij postero die propinabitur: eaç uiuctus ratione reliquo tempore sustentabuntur, ut concoctione probè functi, panis momentum citer horam tertiam quartam uē assumat, aut paulò maturius aut tardius, ut satis interualli sit ad consuetam balnei horam. Qui uero non possunt panem citra obsonium esse, his aut oliuā, aut palmulā, aut uiram, aut aliquid eiusmodi dabimus, experientia id quod optimū ipsorum est, inuenientes: aliud enim alijs secundum naturæ proprietatē melius est. Porro ad prauorum humorum in uentriculo redundantiā, tum cōcoctricis facultatis imbecillitas, tum oris uentriculi infirmitas plurimum conferunt, sicut etiam sensus acrimonia: ad hæc caput eiusmodi humorum uaporibus suscipiendis idoneū, quemadmodum nonnullis oculi. Ego igitur subinde in multis expertus sum rationem quam percensui, iuuisse capitū dolorem ex uentriculo contractum. Archigenem igitur quum absolute cuiuslibet capitū doloris sine febre auxiliū scripserit paucū cibum, cōstat omnibus nihil nouisse illum de eo dolore, qui ob biliosum humorē contrahitur: id quod magis persuasum aliquis habebit, ubi postremā ipsius orationē, quæ sic habet, perlegerit. Archigenis, " ijs qui ex stomacho capite dolent, & cum spiritu distenduntur. Acetū in quo pa- " pauerum capita decoixeris, superfundito, aut spongias madētes imponito; deinde " frontē polenta cū mentha & acetō obducito, aut pulegio cū ipsis, uel solani succo " cum rosaceo inunges. Stomachū nominat, os nimirū uentriculi: quū hanc particulam medici sic appellare consueuerint, qui & stomachicas syncopas nuncupāt, & nōnullos esse stomachicos, à quodā affectu in hoc loco ob oriente pronunciant: sic uocantes, ut iecorarios à iecore, colicos à colo, nephreticos à nephron, hoc est renibus, splenicos à splene patientes. Vnum autem à stomacho hoc affectum doloris plenum scripsit caput occupare, eorum qui ut ipse nominauit, cum spiritu distenduntur: quod ex multo uini potu noui magis accidere. At qui ex humoribus capite dolent, mordacem dolorem, non distendentem percipiunt. Penuria igitur alieni in distentionibus conuenit, non tamen ijs qui mordaces humores in uenticuli ore continent. Quum igitur mordax humor hic fuerit amarus, pallida & flava bilis appellatur, quæ natura sua propter levitatem ad os uentriculi effertur:

Quum autē pituitosus, aut acidus, aut salsus fuerit, in spatio magis totius ventris, quām in ore figetur. Optimū autem sic in his est, ipsum in fundo ventriculi contineri: quippe facile ubi uentrem reliquerit, ad intestina peruenit. Ceterum determina fit dispositio ob prauos humores qui in tunicas ventris se receperūt, ita ut uix elui possint: quorum praestantissimū praefidium est medicamen ex aloē p̄a partum, quod nonnulli quidem uocant picram, hoc est amarā, nonnulli ipsum hierā ex aloē: ac iniiciunt quidem centum aloēs drachmas, sex autem aliorum singulorum: quæ & ipsa sex sunt numero, cinamomi, spicæ nardi, xylobalsami, mastiches chiæ, asari, croci. Præstantius aut̄ fit medicamentū, si minus aloēs indideris: mihi enim uidetur magnam ipsius copiam esse centum drachmas, si cum aliorū pro-  
portionē conferatur. Atq; nonnunquā etiā ex nonaginta drachmis ipsam com-  
posui, necnon ex octoginta, quinetiam ex pauciore nonnunquam croco, quod  
nonnulla ex his quæ ei adiiciuntur, caput feriunt, quod & ex solo croci odore fre-  
quenter nobis accidit. Quare optimā ipsius compositionē iudico, quæ drachmis  
nonaginta aloēs, croci quinq; constat. hac utor. Porrò ijs qui odorem croci non fe-  
runt citra molestiam, sed statim capite replentur, medicamentum compono qua-  
tuor croci drachmas iniiciens: cōtinue autem cogor ipsum conficere, eo quod nō  
solum illis quos recensui, sed etiā ijs qui suffusorum imaginationes, aut acci-  
dentiā ex stomachi affectu patiūtūr, exhibeo. Praeterea quibus uenter prohibetur,  
& mulieribus quæ non probè purgantur, in quibus efficacius est, quum quadra-  
ginta aloēs drachmas, sex autem croci acceperit: ac melius est carpelium in uicem  
asari capere: composui autem ipsum aliquando ambobus quoq; īiectis. Datur  
autem medicamēti summum, drachma una cum aquæ cyathis non magis tribus:  
minimum, dimidia. Inter utrūq; pondus, alia exhibentur, dum quantitas pro-  
estate corporis magnitudine, & consuetudine euariet.

*Quæ Archigenes post primam orationem scriperit: inter quæ est &*  
*Galenī dictorum distinctio.*

De ijs igitur qui ex stomachi consortio capite dolent, hæc sufficiunt. Ceterum  
Iam tempus est ad orationem post primam deinceps ab Archigene conscriptam  
digredi. Examīnabo autem singulas ipsas consimiliter ut primam, cōnectens ipsi;  
propter rerum consequentiā etiam ultimam: uerum nunc à secunda auspicabor.  
Aspergines autem, si ex hyeme, aut perfriktione patientur, oleum tepidum, illitus  
narium, baccarum lauri expressio, aut laurinum oleum, aut syriacum unguentū,  
aut ricinū, aut styracinū, aut gleucinū, aut aliud quoddam huiusmodi ca-  
lefaciens. Ut autem à postremo initiu moliar, dicere ipsum puto, resinam dictam  
autorhyton, hoc est, sua sponte fluxilem, eam quæ in Lacedæmonie plurima nasci-  
tur, & caspnelæon in Cilicia, amaracīnum, & styracinū in Cyzico, & irinum in  
Perga præparatum. His unguentis nares censem illinendas, ceu caput odore ipsorum  
incalefacit: id quod etiam manifestò fieri appetet, ut & priuati homines ipsi  
utantur, præsertim acquisiitu facilibus. Conquiruntur autem facile alijs alia, quæ  
apud singulos copiosa habentur. Ac apud nos in Asia mos est rusticis cedrino dī-  
cto uti: & si quando eius laborēt inopia, piffelæo. Vocant sic, quod compositum  
est ex oleo & pice liquida. Verum miscent ei & cedrinū oleum, alijs copiosius, alijs  
parcius, prout uirtutis ipsorum uehemētiā uoluerint remittere. Porrò omnibus  
quæ dixi, in capite etiam uti solent, maxime ut dictum est in sincipite. Iam & fron-  
tem ipsi, & aurium meatus perlīnunt: nonnulli etiam pedum plantas & sedem.  
Quin autem Archigenes baccarum lauri expressionē dicit, laurinum simpliciter  
dictum putabimus eum sic nominare: ut quum assūmit oleum, laurinū oleum  
appellatur. Syriacum autem unguentū existimo ipsum dicere cōmagenum: quo-  
niam ex Syria nobis ipsum apportat. Archigenis; Aestate autē aut si qui feruore  
disten duntur

*Resina auto-  
ribitos.*

distenduntur, ex aceto, uel aqua, uel rosaceo: ad hec succo polygoni, aut portulace,  
 „ aut solani, aut alicuius refrigerantis, & spongias ex posca capiti imponito. In hoc  
 „ sermone videbitur forsan aliquibus negligentius legentibus, simplicem unam dis-  
 positionem Archigenes curare: no autem sic se res habet. Ex eo quidem quod dicit  
 (feruore) calidam indicat dispositionem. Ex eo autem (qui distendantur) dispo-  
 sitionem, quae hoc a spiritu flatulento patiatur, ut non solum alteratio secundum in-  
 temperie, sed uaporosi spiritus redundantia insit. Per initia igitur in dispositioni-  
 bus utrisque refrigerantium praesidiorum uis est idonea, quae refrigeret quidem ca-  
 lidam intemperiem, repellat autem flatulosi spiritus ascensum & reprimat. Satius *Spiritus flatuo-*  
 „ *sus* *quomodo ge-*  
 „ *natur.*  
 10 auit fuerit, mea quidem sententia, accuratius disquirere, quando quidem ex corpore  
 spiritus flatulentus assurgit, sicut in ijs qui stomachi consortio capite dolent, con-  
 prehensum est, quandoque autem in capite generatur: quippe uenter flatibus inter-  
 dum exturgescit adeo, ut uix discuti queat; interdum uero post eum etiam ex inte-  
 stinis, nunc ieenum, aut tenue intestinum, nunc colum. Quare nil mirum est nec im-  
 possibile, eandem dispositionem in quibusdam capitibus particulis obuenientem fla-  
 tulentum spiritu generare, cuius generationis in uentris locis causam inuenimus:  
 nempe tanti caloris inopiam, ut ex cibis & potu spiritum & uaporosum & flatu-  
 lentum generet: ob facultatis autem contentricis imbecillitatem, spatiofa intus la-  
 xitas partium sic affectarum flatibus exturgescat repleaturque. Quare distenditur  
 20 quidem ob repletionem, dolet autem ob tensionem. Inuentum enim & hoc a nobis est  
 illuc, ubi dolorum communes & generales causas consideramus, quomodo in con-  
 tinuitatis dissolutione similarum corporum dolor oriatur. Dissoluunt autem eam,  
 quae erodunt, incidunt, distendunt, uehementer calefaciunt, & refrigerant. Quocir-  
 ca etiam in capitibus doloribus consueui affectos interrogare, qualisnam ipsorum  
 sit qualitas: nonnulli enim ceu corpora erodantur, dolorē percipere se aiunt: non-  
 nulli uero ceu distendantur, aut grauentur, aut contundantur, aut sola præpolleat  
 uehemens caliditas, aut frigiditas. Si enim ceu erodant, pungaturque, uel acrimonie  
 humorum, uel talis spiritus causam ferre acceptam oportet: si autem distendantur  
 citra rationem, repletioni particularum, que uel ob spiritu flatulentu, uel humorem  
 30 copiosum influente distenduntur: in quo genere et inflammatio, & erysipelas est.  
 Inflammatio sanè, corpore quod eam sustinet, calidum sanguinem in se continente;  
 erysipelas autem, humorem biliosum. Quod si particula quæpiam ambobus re-  
 dundantibus sit oppleta, uel inflammatio erysipelatia, uel erysipelas inflammato-  
 rum generabitur. Ac nemo putet longum nos sermonem in una particula unum  
 symptoma patienti, facere. Communis enim omnium dolentium disputatio est:  
 quam si accurate persequutus fueris, maior ad remediorum inuestigationem facultas in  
 qualibet particula paciente suppeditabitur. Nam pars artis coniecturalis in dispo-  
 sitionum dignotione potissimum consistit: haec siquidem inuente, curationem non  
 coniecturaliter, uerum scientificè indicant; necnon hinc nonnullarum dispositio-  
 num contumacia cognoscitur: in quibus ratio est uti ijs que indicatio suggerit, li-  
 cet per initia nihil proficere videantur: atque hoc est quod in aphorismo dixit Hip-  
 pocrates, in hunc modum: Omnia secundum rationem facient, si non succedit secundum ra-  
 tionem, non est transeundum ad alia, permanente eo quod ab initio uisum est. In-  
 terdum enim adeo uehementer uaporosus spiritus, & multo magis eo humor ui-  
 scosus, aut crassus angustis impingitur meatibus, ut longiore tempore ad curatio-  
 nem opus habeat. Etenim quae sic impacta sunt, extenuare, & meatus dilatare  
 oportet, per quos excernetur, diligentia adhibita, ne denuò alius influat aut hu-  
 mor, aut spiritus talis: preterea pars affecta corroborari debet, ne ipsa quoque flatu-  
 lenti spiritus materiam excitet. Qui igitur primi cōposuerunt medicamenta id genus  
 dispositionibus propria & familiaria, uariam meritò desiderarunt materiam: si-  
 quidem repellere substantiam influetem, siue in humoribus, siue in uaporibus exi-

stat, necessariū est impactam cōcoquere, et extenuare, eamq; ipsam discutere, & ni hilo minus his omnibus, imò etiā magis affectae particulae robur ac firmitatē conciliare, ne qd influit, excipiat, extenuatū uero excernat, impactū concoquat & subtiliet. Verum in mixtura medicaminū quæ id possunt efficere, alius alio in ea read quā consiliū suū direxit, dexterior effectus, hic minus adiutoriā, ille magis, compositionē molitus est: unde ut nouistis (nam ad uos ô familiares uerba facio, quibus potissimū hæc scribūtur) duo prorsus medicamenta uidetis à me cōfecta, ex ijs quæ eosdē effectus promittūt: interim tria & quatuor, & ex horū mixtura subinde efficiēt, id quod res postulat in affectibus curatu difficultibus. Nam inspicio in quoniam eorū medicamentū simplex, quod calefacit, copiosius existat: in quo uero qd 10 refrigerat, sicut et quod siccatur, aut humectat, aut tenuiū, aut crassarū partiū est: dein de uidens quomō adhibitū affecto remediuū profecerit, iterū uel alio quodā, uel eo ipso utor. Crebrō sanè ad aliud quoddā ex ijs quæ idem pollicent̄ descēdo, interim ultraq; misceo, mediū quoddam ex ipsis efficiens. Huiusmodi omnia uberiorū à me cōprehensa sunt, nō generatim solū, sed etiā membratim in therapeūticā methodi cōmentarijs. Sciedūm̄ est, quod iam prius quoq; dixi, therapeūticen hoc opus

**Doloris ex cato** subsequi, attamen cogor etiamnū ipsius meminisse, quo magis nos, ea quæ indidē loore & flatuo dicunt̄, assequamur. In proposita igitur dispositione dolorifica, in qua caliditas simul cum flatuoso spiritu p̄cellit, inter initia quidē repulsoria medicina utendū est, quæ ex uiribus refrigerantiū nascitur: quod ubi mediocriter factū fuerit, ex mi-

tigatorijs & cōcoquentibus aliquid misceri oportet repellētibus: deinde etiā digrens aliqd adīciendū, paulatim medicamētis repulsorijs detrahendo, quousq; me dicamēta ad contrariā naturā perueniāt ei quā initio recipiebat: hoc est, ut plurimum sit quod extenuet & digerat, minus quod concoquat & mitget, paucissimū aut̄ quod repellat. Portulacā igit̄ frigidā & aquose substantię esse didicistis: minus ea polygonū. In solano aut̄ tantū mixtū esse crassarū partiū et terrestris substantię, quantū & astrictionis. Acetū repulsoriā simul & extenuantē, imò etiā digerētem uim obtinet, ut quod p̄ppolleat in temperamēto, tenuiū partium frigiditate, sicut exacte purus aēr septentrionalis est. Didicistis etiā iam rosacei uim, quomō non nullā quoq; repulsoriā obtinet, item cōcoctrīcē & mitigatoriā, præterea & discus- 30 foriā. Meritō Archigenes initio prædictæ dispositionis talibus utiū medicamētis, ipsum quidē per se solum acetū, neq; alias adhibens, neq; hic, propter uirtutis uehementiā: miscēs aut̄ ei uel rosaceū, uel aquā. Quapropter digrediamur iam ad subse- » quētes Archigenis oratiōes. Quod si intendāf, in totū cibū circūcidere cōuenit, de- » inde sanguinē ex cubito dimittere, aluū clystere ualido euacuare. De his remedijs dictū à me prius est, quū A pollonij orationē inspicerē, inediā sanè ob biliosas cau- » fas repudiās, & sanguinis missiōne in pueris, senibus, & uiribus imbecillis: cōmen- » dans aut̄ uacuationē clystere adhibitā, nō modo ut quæ in intestinis cōtinent, edu- » Clyster capiti cant̄, sed etiā ea quæ ad caput ascendūt, reuellant̄; atq; idcirco probē in ijs quæ de ea prodest. Archigenes scripsit, non simpliciter dixit, aluū clystere uacuandū, sed adiecit uali- 40 do: quippe in huiusmodi clystere multa reuulsio est, præter qd nō sola uētris & me- » fenterij cōtentā euacuet, sed simas quoq; iecoris regiones. Archigenis inspergines. Ruta » ex aceto et oleo lœuigata. Memores dispositionis, cuius præsidia scribere cōstituit, ita iudicamus singula, quæ enumerare incēpit. Proinde dispositionem sic ipse scri- » psit: Aestate, uel ardore distentis, deinde refrigerātis facultatis subiecit præsidia, ac » postea inquit: Sūma cibi abstinentia, sanguinis missio, & clyster ualidus adhibeat. Et post hæc, quæ in præposita oratione scripta sunt, in qua cum aceto & oleo rutā lœuigatā admouere iussit, nō adīciens, uiridem̄ ne, an siccā. Est em̄ non exigua dif- ferentia multo acrioris et calidioris sicci à uiridi, mihi quidē uideri uiridē consulere. Non em̄ subitō à refrigerātibus ad cōtraria transiūset. Acetū aut̄ præterquā qd re- frigerat & repellit, digerentē uim obtinere prius à me dictū est. Ceterū oleū mitiga- » toria & laxante ui præditum, bona ratione ipsis miscuit. Aliud Lauri baccarū ex-

pressione, cum aceto et ruta. Hoc multo superiori est efficacius; ualide enim calefa-  
 cientia baccarū lauri expresso, rutā miscuit cum aceto citra oleū. Aliud. Succus ex ra-  
 dicibus iris expressus, cum aceto, pdest. Hoc præsidium calefactoriū nihil habet. Præ-  
 staret igit̄ in transgressu ad generosiora præsidia, primū ipsum cōstitui, deinde sali-  
 cis folia leuia cum aqua. Hoc superius exposito, qd ex iride cōstat, imbecillius est,  
 & omniū primis positis simile: quare nō opportunē in præsentia declaratū est. Ser-  
 pyllū tritū ex aceto & oleo cōuenit. De oleo quidē & aceto prius à me cōprehen-  
 sum est; adiecit aut̄ ipsis nunc serpyllū, acris qualitat̄ medicamentū, ideoq; & cali-  
 dæ facultatis. Negligēter aut̄ hic omisit indicare, utrū uiride an siccū ipsū esse uelit:  
 10 prestat forsan uiride intelligere. Aliud. Polygonū cum ruta oleo subactū & aceto.  
 Polygoni succo prima ratiōe, ut refrigerat̄ usus est; etem reuera talis est: quare &  
 in doloribus diuturnis primo trāgressu rationabiliter aliquis ipso uteſ, ruta admi-  
 xta. Cōsiderare nos cōuenit in unaquaq; cōtrariorum facultatib. medicaminū mi-  
 stura, initio quidē parū generosi esse temperandū: in secundo aut̄ & tertio usū au-  
 gendū ipsius pondus. Aliud. Amygdala amara pellicula detracta, leuia ex aceto  
 et oleo immersa, ad cerati spissitudinē, ex linteolo fronti imposita conducūt. Atq;  
 hoc prīmī trāgressus est peculiare. Nam didicimus amara amygdala uim habere  
 digerentē citra morsum. Aliud. Ruta sylvestris cum \* olea et aceto similiter. In ordī *vetushabets*  
 nate rursus hoc interposuit, ualens admodū medicamentū, in doloribus multū diu *oleo*.  
 20 turnis meritò omittendū. Aliud. Populi albæ fructus, cū aceto tritus, nā & albæ fru-  
 ctus digerentē uim occupat. In quibusdā exēclaribus nō cum aceto, sed cū posca  
 scriptū est. Aliud. Ocymī semē cum aqua proficit. Ocymī semē calefaciētis & exte-  
 nuatorię facultatis est, nō tñ ualide: ex aqua uero sola, si dispositio in uetusstatē inci-  
 dit, nemo recte uteſ. Nā satius effet oleū & acetū, ut in alijs dixit, misceri, ita in hoc  
 quoq; dicere. Aliud. Bene facit etiā balsamū, peucedanū, castoreū, & simul, et priua-  
 tim, singula cū oleo & aceto. Hoc rursus medicamentū ualidū est, & præfertim cū  
 solū ipsū peucedanū adiçit̄ citra castorei mixtionē. Balsamū qd uocet, nō possū di-  
 cere, utrū germinis fructū, an liquorē quē opobalsamū appellat̄, an surculos ipsos  
 dictos xylobalsamū. Melius aut̄ *michi* uidet̄, ut opobalsamū intelligamus, qd tenu-  
 torū partiū et digerētis substātiæ existit, nō tñ manifestè calidę. Aliud. Folia lauri, et  
 populi albæ, & uiticis cū oleo & aceto. Mixtū hoc medicamentū ex diuersis facul-  
 tatibus simplicibus cōpositū: folia sanè lauri calidissima, uiticis aut̄ mediocriter re-  
 frigeratia, media ipsorū sunt populi albe folia. Aliud. Panacē cū oleo inūges. Nullū  
 hic refrigerantiū mixtū est, atq; ideo inueteratis admodū dispositionib, & nihil  
 etiamnū caliditatis habentibus, utile existit. Quare etiā accusauerit aliquis ipsum,  
 qd remedia citra distinctionē scripsérat. Panacē puto eū nūc dicere negligēter, pro-  
 eo quod est, panacis radicē: nō em̄ putandū est opanacē ab eo dictū esse panacē,  
 qui à radice differt, nō exiguo quodā caliditatis excessū. Aliud. Viticem, aut̄ men-  
 tham, amygdala amara, iridē, & equali pondere mixta aceto et rosaceo consperges.  
 30 Aliorū uirtus superius à me cōprehensa est: menthę aut̄ nunc priuū meminit, cali-  
 dæ facultatis medicamēti. Aliud. Sycamini succo aceto admixto caput superfundi-  
 to. Hoc manifesto est ex genere eorū quę ab eo scripta sunt incipiētis dispositionis:  
 refrigeratoria remedia, quę nō recte nunc permiscent̄ ijs medicamēti, quę ad au-  
 gescentes dispositiones cōueniunt. Vbi diuturnus affectus est, pilis deralis, illitio-  
 nibus quidē enumeratis, et superfusionib, utitor, crassiores eas efficiēs. Aliud. Re-  
 finam cū melle temporib, & fronti illinito, aut muscerdā cum aceto & rosaceo.  
 Tertiū hoc ei tempus est in capitib auxilijs: nā priuū erat incipiente affectu: alterū  
 ut ipse scriptis inualecente: tertii hoc, in quo ait, in uetusstatē incidentib, quod  
 requirit auxilia uehementiora: quorum nonnulla priorib, non recte miscuit.

Quę Asclepiades tradidit in primo exteriorū ad recetes capitib dolores. Aspersio qua Nicomedes usus est.

Ruta foliorum, menthæ, peucedani, iridis, singulorum drach. ij. ocymi seminis

» drachmas octo, papaueris nigri seminis drach. quatuor, poscae sextarium unum;  
 » coquito ad dimidias, & humorem expressum rosaceo subigit, & continuè caput  
 » perfundito. Aliud quo usus est Charicles. Amygdalarū amararū purgatarū drachmas  
 » duas, lygi floris drachmas duas, peucedani radicis drachmas duas, menthæ uiridis  
 » aut siccæ drach. ij. rutæ surculorū drachmas duras, baccarū lauri purgatarū drach. ij.  
 » spondyli drachmas duas, serpylli drach. ij. castorei drach. duas, rosarū uiridiū aut  
 » siccariū drach. iij. aceto dissoluta, cerato qd ex rosaceo præparatū sit excipito, dein  
 » delinteolo illita, & pilis deraſis toti capitī imponito, et fasciola medicamentū deli-  
 » gatū uſq; ad ſequētē diem reſeruato, ac rursus ubi ſolueris, renouatū id applicato.

Pastillæ ad capitī dolorem Antonij herbari.

» Liquoris peucedani drachmas ſedecim, lachrymæ papaueris drachmā unam,  
 » anisi drachmas quatuor, alterci ſeminis drachmas quatuor, croci drachmas qua-  
 » tuor, ſcammoniæ drachmas quatuor: omnia laeuigata cum aceto in paſtillos co-  
 » gito, ſiccatoq; in umbra: ubi uti uoles, diſſolutis ex aceto frōtem inungito, ab uno  
 » temporū auſpicatus, & in alterum delinens. Cum febris adeſt, aqua utens illinito.

Alexander usus est ſic.

» Peucedani radicis drachmas quatuor, uelliquoris drach. ij. croci drachmā unā,  
 » myrrhæ drach. unā, opij drach. unā: aceto excipito, paſtillosq; formato: cū uſus po-  
 » ſtular, aceto diſſoluens, locos ſenſui expositos delinito, hoc ſtatim dolores ſoluit.

Aliud Antigoni in exercitu rem medicam inſignier traſtantis.

» Baccarum lauri ſiccarum, leuium, purgatarum drachmas quatuor, ſcammoniæ  
 » drachmas quatuor, opij ſeminis drachmas octo, lachrymæ papaueris drachmas  
 » quatuor, croci drach. octo, myrrhæ drachmas quatuor, uuæ immaturæ drach. iij.  
 » serpylli drachmas octo, aceti quantum ſatis eſt: præparato ſicut dictum eſt.

Diuturno capitī dolori conſlictantum epithemata, ut Charicles uſus eſt.

» Irini unguenti exprefſionis, peucedani, castorei, ſingulorum pars una, baccarū  
 » lauri partes duæ, uiticis ſeminis partes duæ, roſarum ſiccarū partes duæ, rutæ ſurcu-  
 » lorum partes duæ: aceto diſſoluta, cerato quod ex rosaceo præparatū ſit excipito:  
 » deinde lineteolo illita, toti capitī imponito, pilis prius deraſis, & fasciola deligatū,  
 » ſeruato uſq; ad ſequētē diem, ac rursus imponito.

Si biliosus humor dolore capitū inuexerit.

Notæ horū perſimiles ijs, quos ob ſolis aeftū dolor affligit: ſed maior ipliſ rosio  
 accedit, & faciei pallor, interī etiam os inamareſcit. Porrò affectus hic aetatibus  
 uigentibus, & tēperaturis calidioribus, uitæ ſolicitæ, & bilem flauā coaceruātibus  
 Alexander. ſolet accidere. Quamobrē balneū temperatū his, inunctiones, aquæ potus, & uni-  
 uersa uitius ratio humidior, boniç succi, utilis eſt. Biliosus humor absinthij dilu-  
 to uacuabit, uel aloē, uel ipſa picra, id eſt, amaro antídoto, per ſe, aut cū modica ſcā-  
 monia, aut catapotij quæ ex aloē cōſtant. Inungenda frons, aut croco de paſtillo,  
 aut trigono, aut quodā ſimiſi. Si caput conſortij lege indoleſcat. Si caput lege cōſortij af-  
 ficiatur, quod ei cum toto eſt corpore cura adhibēda, quomodo cōtra intemperie, 49  
 ſuperātemq; materiā pugnemus. Si copia quidē premit, & maxime in uenis, ſan-  
 guis mittendus eſt. Si autem magis qualitas urgeat, purgante utendum medica-  
 mine. Quod ſi particula laborante aliqua condoleſcat, ueluti iocinore, aut uentri-  
 culo, aut ſtomacho, hiſ ſuccurrendum eſt. Vbi calida afficit intemperies, panis ex  
 aquoso uino exhibet, uel etiā ex chondro ſorbitiūculæ. Extrinſecus uincit ſuper-  
 fundere, quæ modice refrigerent, uiuereſq; confirmēt, ſicut prius à me cōprehensum  
 eſt. At ſi glutinosi crassiq; humores in ſtomacho infarcti capitī dolore concident,  
 hos quoq; amoliemur potu oxymelitis, tum ſimplicis, tū Iuliani. Inſuper medica-  
 mentis ex hyſſopo, & origano, et hiſ adhuc calidioribus, magisq; incidentibus. Et  
 uomitus à radicula utilis, asperginesq; ad fouendū calidores, & cataplasma re-  
 ge admouentur. De dolore capitī in febribus. In capitī doloribus, qui ſimul cum febri-  
 bus

bus per initia inuadunt, sanguinem dimittere oportet prima aut secunda remissione, si nihil prohibet, & presertim in hominibus boni habitus, multi sanguinis; mente adhibita, ne propter vapores à uentre oborientes, aut aluum astricā capitis dolor accidat. Quod si uero post septimā diem inuaserit, alio prius inanita clystere insigniter, cucurbitula occipitio aut ceruici defigenda est, ac caput aspersioribus ex oleo mitigandū: rosaceo sanè in calidioribus, & aestiu tempore, cum acetī momento: chamæmelino autem in frigidiori habitu & hyeme, quinta parte acetī adiecta: cæterum frons illinenda, ciphy sanè in frigidioribus, crocomagmate autē in calidioribus. At doloris qui ob febriū magnitudinē generatur, remedia prius in sermone de febribus cōprehensa sunt. At caueri hēc oportet non solum in his qui ex stomachi consensu capite dolent, sed etiam in omnibus circa caput obortis affectibus. Sunt autē hæc, uiticis semen, absinthij succus, lactis potio, glandes quercinæ comedæ, oliuę nigræ, arbuti fructus quod memæcydon dicitur, eruus: hic etiā articulos resoluit: magis autē ferit caput, myrrha, thus, hederæ capreoli. Item mentē turbant, iuncī odorati semen, crocus, peucedanū, cyclaminū, siccū cum uino potū. Styrax modicus quidē potus morositatē soluit, multus autē turbulētos somnos efficit.

## De Cephalæa.

Cephalæa diuturnus & cōtumax capitis dolor, qui ob exiguae occasiones maximas habet accessiones, ut neq; strepitum ferat ægrotus, neq; uocem uehementiorem, neq; splendidum lumen, neq; uini potum, neq; caput replentia odoramenta, neq; motum: sed in quiete & tenebris propter dolorū magnitudinē cupiat decumbere, ut cui uideatur caput ueluti à malleo feriri. Nonnulli caput tanquā contundunt aut distendunt percipiunt: non paucis autem dolor ad oculorum radices pertingit. Cæterū affectus hic adfert sanè nonnunquā continuos dolores, nonnunquā uero accessiones et intermissiones, uel ordinatas uel inordinatas; quippe huiusmodi accessiones interim, quemadmodū comitialibus, intermittūt, ac tempus quoddā in rea absolute inculpatum superuenit. Constat itaq; omnibus hunc affectum, capitis promptitudinē ad patiendum congenerem habere, ijs qui ex illo dolent: Græci uocant κεφαλαιηκός. Verū particulæ capitis affectæ in illis imbecilliores redduntur.

Iam quidā ipsorū membranis cerebro obuolutis dolent: nonnulli uero etiam sola membrana, que quod caluariæ circūtendit, pericranios dicunt. Itaq; dolores qui cum grauitate inuadunt, plenitudinem indicant: qui uero cum rosione, aut humorum, aut vaporū acrimoniam: qui cum pulsū, inflammationē: qui cum tensione, si quidem citra grauitatem & pulsum obueniant, spiritus \* crudi & flatulentī copiā ostendunt: si autē cum pulsū, corporis membranosi inflammationē. At si cum grauitate generet distensio, copiā intra membranas cōtineri, ac dolores sanè per summa accidētes, membranæ que os ambit, perioftios dicunt; affectū innuit: in alto autē affligerentes, membranarū cerebri, quas meninges nūcupant. Quibus em̄ dispositio intra caluariæ est, his ad oculorū radices dolores perueniunt, eo quod oculorū turricæ à cerebri membranis habent originē. Quod si etiam putris humor calidior euaserit, cum febre capite dolent: febricitatē autē omnino, & qui ob inflammationē dolent. Si igitur humorū, vaporum uero copiā causam esse deprehenderis, ubi sanè ex totius corporis repletione generata sit, totius corporis uacuatione capitis dolori medeberis. Vbi uero ceu imbecille caput existens, ea que sursum feruntur excipit, materiam in totum corpus reuellere oportet, atque sic particulæ medicari. Itaque reuulsio fit clysteribus, extremorum deligaturis, & pluribus inferiorum partium frictionibus: interim etiam & sanguinis uacuatione ex cubito. Quod si sanguis adhuc redundare appareat, etiam per nares, uena adaperta detrahere conuenit, quantum satis esse uidebitur: deinde hiera, ubi uim eius exacerbit, intenderisq; exhibenda est: mox pituitæ eductionibus per os, apophlegmatismos

Græce est λε.  
πῆ, pro ἀπέ  
πτο.

uocant, utendum est: tum ijs quæ per nares uacuant, *εργίνα* Græcis dicuntur, cuiusmodi sunt quæ ex elaterio, & cyclamino, cum lacte & porro præparant. Caput cū rabis, ubi quidē reuulsorijs utendū est, fomētis repellentibus: ubi uero totū corpus inanieris, iam ijs quæ caput uacuāt, uti tempestiuū est: deinde quæ id possunt corroborare. Repellit itaq; oleū quod ex immaturis oiliis expressum est, & rosaceū per se, et cum aceto: item qd ex capitibus papaueris, & teneris oleæ germinibus, et hederæ capreolis, & mentha uiridi præparat. Ceterū adhibe remedia tepida, ubi copia frigidior est, & crudior; frigida, ubi calidior & biliosior. Discutit autem oleū dulcissimū, calidū, idq; magis si in uetustatē incidat, & sicyoniu. Si crassior humorū copia fuerit, spōdylij, aut serpylli in oleo decocto, aut pulegij comæ, aut calaminthæ, 10 aut menthæ, copiā uacuab. Hæc autem ipsa etiā robur particulæ adjiciunt: quare etiā his ipsis ad absolutā usq; curationē uti ratio est. Omniū maxime digerit, et strenue corroborat uerbenaca recta, præsertim uiridis. Iam uero et sicca, cum radicibus, & serpyllo pariter oleo incoctis. His simul iniicienda est radix crocodiliadis maximæ, quæ apud aquas nascitur. Si uerbenaca per se in oleo decocta caput perfuderis, omni capitī dolori diuturno ob frigus obporto, aut ex crassis humoribus, mēdeberis. Plurimum auxiliantur aselli, qui sub situlis agunt, oleo incocti.

*Archigenes de medicamentis quæ pituitam per os ejiciunt, Græci apophlegmatismos uocant.*

Post hæc apophlegmatismi ex sinapi, aut hyssopo cum passo decocto, aut herba pedicularia cū pipere trita, & cum melle, aut oleo melli mixto, aut herba pedicularia, tum priuatim, tum cū melle cōtrita. Materiā sanè eorū medicamētū, quæ, quod pituitā per os educūt, apophlegmatizonta medici nominare consuerūt, posterius explicabo: in præsentia uero tantū indicare utile est, hoc præsidium esse pituitæ molestantis remedium, quemadmodū & nomen ipsius indicat. Archigenes autem dispositionem calidam & flatuosam pollicitus est se curare, non frigidam & pituitosam. Iuuantur admodum, si caput perfundatur decocto lauri, aut ruta, aut panacis, aut papaueris capitum, aut baccarum lauri. Haud noui qua ratione medicamentis ualide calefacentibus annumeravit papauerū capita, non mediocriter refrigerantia, quū indicauerit in orationis contextu, aliquem singulis commemoratis priuatim posse uti, forsan aliquando etiam mixtis: non tamen indicans an aliquid ex papauerum capitibus iniūcere ipsis præcipiat, quo medicamentorum uehementia imminuatur, & mitigetur: an etiam solis nonnunquam uti, quod incipienti augescentiç dispositioni accōmodatius fuerit: inueterascentem autem non solum nihil iuuant, sed etiam magis offendunt papauerum capita. Bonum etiam ex sale factum fomentum. Comprehendit hic totum sermonem Archigenes, qui fomenti meminerit ex medicamento, quod siccitat quidem non generose, habet autem quiddam etiam calefactorium. Conueniebat enim ipsum scitem, quod calidam dispositionem curare statuerit, uel seruare semper indicationē, quæ ab ipsa sumitur, uel de transitu aliquid dixisse: ex quo dum caliditas cessaret, obstructio aut intentio, aut huiusmodi aliquid generatū est, quod contrariam curationem ei quæ ab initio diffinita est, requirit. Post superfusiones autem, fomenta iuant, si lini semine rosaceo insperso, lanas succidas ex aceto & rosaceo calidas circumponens, diligaueris. Hoc auxilium est mitigatoriū doloris uehementer infestantis, necnon subiectam quoq; dispositionem iuuat. Quare ubi intensi doloris capitī auxilia conscripsit, illuc satius erat ei etiam de somēto uerba fecisse. Hoc autem tempore, de quo præsens sermo institutus est, si fomētis aut cataplasmatis uti uisum fuerit, fomenta ex milij præstantiora. Ut enim Hipocrates dixit, milium & leue, & mite est; sales autem propter grauitatē molesti sunt, præsertim in capite.

*De cataplasmatis in capitī dolore.*

» Cataplasmatis autem utitor, ordeacea farina cruda, quæ iridem contusam habeat: aut

aut rutæ semine similiter, aut fœniculi radice eodem modo, aut farina ordeacea ex  
 oxymelite subacta, aut mixta polenta, & pulegio. Hæc cataplasma secundi tem  
 poris sunt, eorum quæ ipse diffinerit. Hoc autem tempus intensæ cephalæ attribui  
 tur, quippe illam mitigabunt, et dispositioni opitulabuntur. Aut id quod ad Nileū  
 refertur, admixta decima castorei & iridis parte, cum aceto & rosaceo imponito.  
 Itaq; Nilei medicamentum emplastrum figuram repræsentans, celebre admodum  
 est iam inde à longo tempore, atq; ideo omnibus cognitum. Promittit autem in  
 flammationū præcordia infestantiū reliquias ueteres curare: obscurè uero mixtio  
 nem ipsius cum castoreo & iride Archigenes scripsit. Incertum enim in altero ne  
 ipsorum decimam partem esse uelit Niliaci malagmatis, an in utrisq; melius autem  
 mihi uides utr iusq; decimā partē miscere. Verū castoreū & iridē exacte laevigata  
 esse conuenit: deinde hæc Nilei medicamento paulatim per manus miscere, ita ut  
 manus per uices rosaceo, & aceto madefacias. Aut nuces amaras excorticatas, &  
 rutā, iridisq; exiguum aceto rosaceoq; mixta, malagmatis forma imponito. Huius  
 modi medicamenta multa, quū ipse in secundo tempore dispositionis propositæ  
 conscripsit, quæ illorū esset, ego sum interpretatus. Aut uiticis semē, persicę folia  
 uiridia, & myrrhā, pari pondere cum unguento Aegyptio fronti cataplasmati si-  
 gura applicato. In Alexandria sola, persicę arborem uidi, non tamen in alia gente  
 quadam Romanorū imperio subdita. Nonnulli persim ipsum nominant, ac dicunt  
 in Persis huius arboris fructū esse perniciosum, qui in Aegyptiorū regione inno-  
 ciens existit. Porro Aegyptium unguentum, non ita solum, uerum etiam Mendel-  
 sium appellatur: quidam ipsum & Megalaon uocari affirmant, ab eo qui illud  
 compositum, cognomento Megalo, alterutra appellatione sumpta, ab ipso quidem  
 autoris nomine, in eorum forma, quæ deritatiua nominantur: à patria uero ipsius,  
 Mendelson. Est porro & laxans, & mitigando dolori idoneū. Aut sulphur, casto-  
 reum, baccę lauri, pari portione, cum cerato rosaceo illita, temporibus et frōti im-  
 ponuntur. Calidum insigniter medicamentū hoc est, quod frigidas dispositiones  
 possit iuuare. Aut castoreū, & peucedanū æquali pondere. Consimilis est et huius  
 medicamenti facultas superiori. Quod si dolores persevererēt, sanguinis dimissione  
 ex naribus, aut fronte, uel cucurbitulī in occipitio utitor. Sanguinis detractionē  
 ex particulis affectis in morbis inueteratis cōuenire à medicis propè uniuersis cō-  
 fessum est: in occipitio autem cucurbitulae, reuulsoria sunt auxilia, in quibus humo-  
 res, qui ad oculos, uel priores capitis partes ferri confuerunt, auertere conamur.  
 Aut medicamento quodam quod sternutamenta ciet, concutito, sive circumpo-  
 sito, & spiritū continere iuslo ægrotante. Huius præsidij adiumentū indicauit, qui  
 apposuerit orationi, concutito. Ex eo autem, ceruicem fune circundato, uehemen-  
 tiorem fore dispositionē existimat. Aut per nares purgato. Hoc præfatus, deinde  
 enumerat quæ per nares purgant: de quibus ego uestra faciam, quemadmodum  
 & de ijs quæ pituitam per os educunt, quum sermo de medicamībus quæ capiti  
 applicātur, fuerit absolutus. Vbi uero admodū diu perseuerauerint dolores, caput  
 sinapi obducito, ut mose est, & perurito. Omnia affectuū, qui diutissim ē infesta-  
 runt, quum auxilia nihil proficiunt, curationem quam methodici metasyncriti-  
 cam, hoc est recorporatitiā uocant, propemodū omnes moliri consuerunt, ad quā  
 primi medici peruererunt, haud scio qua ratiocinatione usū. Ego autem in quibus uel  
 intēperies quædā humida & frigida particulis patiētibus inest, ipsa per se, aut pro  
 pter frigiditatē eiusmodi humorū oborta, medicamenta quae ex sinapi, thapsia, &  
 similibus preparant, ipsis admoueo; calidis aut & siccis nō admoueo. Porro nū qui  
 nequeunt dispositiones cognoscere, ad huiusmodi medicamina ueluti ad sacrā an-  
 chorā configiunt, eoq; frequenter uoti compotes euadunt: quoniam plurimos  
 homines ex praua uictus ratione tales infestant dispositiones.

*Archigenis de ijs qui ex ebrietate capitum dolorem experiuntur.*

» In ijs qui ex ebrietate capitum dolorem experiuntur, iride sicca, & uiticis folijs in  
 » aceto & rosaceo utitor. Aut apij summatibus uino incoctis, caput cataplasmatis  
 » modo obducito. Aut pulegio cum uino similiter. Aut mendesio unguento per-  
 » fundito priuatim, aut cum adipe anserino. Aut myrrham cum uino mendesio ca-  
 » taplasmatis modo inducito: aut rutae folijs, baccis lauri, uitice, populi albæ fructu,  
 » æquali pondere laeibus cum oxelæo tepefactis, caput trigato. Quæ ebrietatem  
 » arcent, huiusmodi sunt: Absinthium mane ieunus potato. Aut myrti florem &  
 » myrrham rutamq; lauia cum aqua. Porrò de ijs qui ex ebrietate dolent capite,  
 » abundè tractauit, Apolloni medicamenta consideras. Post dicta uero prius oratio  
 » nem, alia sequit de dolentibus capite stomachi confortio, qua de iam disputatuæ est.

*Medicamenta Archigenis, quæ, quod appenduntur collo, ποπιαὶ Αρχιγενίς dicuntur.*

Quoniam & Archigenes remedia tradidit, quæ, quod collo appenduntur, ποπιαὶ Αρχιγενίς dicuntur, quæ quidem illorum nullam rationem medicam habent, ijs qui experientia nituntur, haec relinquo, dicentibus ex quodam mirabili naturæ con-  
 sensu hominibus incognito operari. Quæ autem ratione constant medica reme-  
 dia ab Archigeno prodita, selecta persequar, sola ad ipsiusmet sententiam: sicut ha-  
 » Etenuis de medicamentis egi. Polygoni duos ramusculos implexos capitum circun-  
 dato. Quod polygonum calidis & flatuosis capitum doloribus conueniat, ipse prius  
 explicauit. Nihil igitur miri est, in huiusmodi ipsum frequenter iuuisse: quippe hi  
 continue contingunt ex astu, & ebrietate. Quod autem duos omnino ramuscu-  
 los esse oporteat, adiectum est ab ijs qui uolunt auxiliū ex polygono per naturæ  
 » consensum incognitum, non ex temperamento ipsius fieri. Vel cicorium, quod  
 » Romani intybi olus dicunt, patientis capitum inducit, præsertim si ex solis astu  
 » doleat. Ego uero adiiciā, etiam si ex ebrietate: sic enim opitulantur rosacea corol-  
 læ: ac has sanè licet scribere cuicunq; libet, & numerū adiicere quemcunq; uole-  
 rit, & affirmare corollam ex tot rosis implexam, capitum mederi. Deinde callitricho  
 caput coronandum censet, quod nonnulli dicunt trichomanes. Ego autem noui  
 qui de herbis scriperint, adiantū potius nominare callitrichum quam trichoma-  
 nes. Deinde paulò post: Hei ba quæ quod hominibus tangentibus adhæreat, phi-  
 » lanthropios dicitur, & palmæ masculæ corticosa sumitate. Ab his ad ueibum  
 » ita scribit: Vel contra solem collocatum eum qui capite dolet, usque dum dolor  
 » cesset, sinito. In eorum quæ capitum appenduntur catalogo, hoc quoq; ab eo conscri-  
 ptum est, quod caput ex perfictione dolens iuuare potest, si homo neq; plethori-  
 cus fuerit, neq; cruditate laboret, uel humorem quandam prauum in uentriculo,  
 præsertim in ipsius concauo, obtineat. Calidos autem capitum dolores, ex quibus  
 sunt, & qui ex ebrietate, & qui ex astu contrahuntur, non mediocriter offendit.  
 Persimilia his deinceps scribens, ad chamaëmelum uenit, cuius experientiam ha-  
 bemus capitum dolori auxiliari, si eo quis, ut prius dictum est, uti possit. Vocat autē  
 Archigenes anthemidē herbam, quemadmodum & alij multi, aitq; florem ipsius 49  
 si conteratur, & naribus quis odoretur, opitulari: folia autem summè offendere.  
 » Liberat capitum dolorem herba uerbenaca, quam nonnulli sacram appellant, & ca-  
 pitum circundata, & illita ex aceto & rosaceo. Hoc præsidium conueniebat ipsum  
 non nunc inter ea quæ appenduntur, sed prius in libris medicamentorij, siquidem  
 huic ipse fidit, longa perscrutatus experientia, perscripsisse. Aut testudinis palu-  
 stris, quā nonnulli uocat sanguisugam, sanguinem sincipiti instillato. Hoc quoq;  
 si uerum est, oportebat inter medicamenta cum distinctione esse scriptū: nisi forte  
 dicat, hoc omnem iuuare capitum dolorem quoquis tempore. Sic enim eo & nos na-  
 turæ consensum testabimur, non efficaciam temperamenti, quod obtinet. Quum  
 igitur sermonem de ijs quæ appenduntur absoluisset, deinde hæc tradi-  
 dit.

Archigenis

*Archigenis de diuisiōnibus & contusioṇibus que capiti accidunt.*

De uulnerib⁹ quę in capite obueniunt, deinceps agetur. Parua autē diuisione „  
 oborta, nonnulli myrrham aceto cōtritam, aut aloēn cum linamentis imponunt: „  
 & glutinat, & àflammatione mirabiliter seruat. At in contusionib⁹, quae citra di „  
 uisionē in capite fiunt, faciunt etiam polentæ impositæ. Pr̄terea hyssopus, & lanę „  
 succida similiter. Aliud. Peculiarius autem similaginem ex aqua applicabis. „  
 Aliud. Aut origanum cum polenta. Hæc autem quod utilia quidem sunt cognitu, „  
 quorsum attinet etiam dicere: uerum ad aliud opus pertinent. Attamen uel quod „  
 putet ex tal⁹ causa dolentib⁹ hæc esse idonea, conscripsit, uel tanquā inflammatio „  
 nes oborientes possint curare, uel tanquā prohibere. Quinetiā in nonnullis exem „  
 plaribus, nequaç̄ hæc feruntur: sicut in alijs adhuc etiam plura id genus, in hunc „  
 modum habent. At in uulnerib⁹ circa caput obortis, & mediocribus, et in ijs qui „  
 celebrem medicum nō requirunt, in quibus non est locus glaber sua sponte, pilis „  
 derasis, et fibulis traeiectis, glutinatorijs experientia probatis utemur. Pulchre glu „  
 tinat cerebri membranā conuulneratam calamithæ succus infusus, & farina mi „  
 liaris sicca inspersa: deinde butyrū, rosaceum, adeps suilla uetus, mixta tepeſiunt, „  
 & ipsi superfunduntur. In quibus os denudatum est, diuisa pericranio membra „  
 na, rademus os, & ratione qua committitur, tanquam si ne nudum quidem fuerit, „  
 curabimus. Si autem suturę non continuerint, tunc secundum rationem qua caro „  
 coalescat, ὁ νότος καὶ ωτια appellant, sicut & reliquorum uulnerum curam habebimus. „  
 Exponetur tractandi modus suo loco. In quibus uulnerib⁹ uel ob paruitatē, uel „  
 alias non licet suturis uti, carptum linamentū ex oxelæo imponitur, aut ex succo „  
 myrti, aut lentisci, aut rubi, aut conyzæ tenuia folia habentis, miscens alicui ipso- „  
 rum mellis momentum, linamentum madefaciens imponito. Applicato autem „  
 prædictorū folia cuipiam, aut spongiam inanem oxelæo madidam inducito: aut „  
 lanam sordidā similiter. Iam ipli uulneri brassicæ folia superimponito, aut polen- „  
 tam aceto maceratā per se applicato, aut cum brassicæ folijs cōtusis. Hæc sanè Ar- „  
 chigenes scripsit medicamina capitis doloris, simul cum quibusdam distinctioni- „  
 bus, ut etiā Apollonius factitauit. Asclepiades aut̄ uaria quidem medicamenta „  
 tradidit: distinctiones autem dispositionum non adeò ipli apposuit, uerum inci- „  
 pientium solum, aut diuturnarum: idq; fecit nō in multis, sed in primis, & duobus „  
 extremis. Itaq; postrema crediderit aliquis in diutinis proficere, ex uralidis simpli- „  
 cibus medicamentis cōposita. Primum forsitan ob hoc solum aliquis in usum eius- „  
 modi ducere possit, quod papaueris liquorem non exiguum obtinet. Talia uero „  
 didicimus, non eo quod dispositionibus opitulentur, sed quod uim sensoriam stu- „  
 pefacent, dolores lenire solita. Ordine igitur & haec omnia scribentur.

*Quæ Asclepiades ad capitis dolorem in primo exteriorum prodiderit.*

Ad recentes capit⁹ dolores fatus, quo usus est Nicomedes. Rutæ foliorum, „  
 menthæ, singulorum drachmæ duæ, peucedani drachmæ quatuor, iridis drachmæ „  
 40 duæ, ocyimi seminis drachmæ octo, papaueris nigri seminis drachma una (alijs dra- „  
 chmae octo) poscæ heminæ duæ: ad dimidias coquantur, & liquore expresso rosa- „  
 ceoç̄ subacto, caput frequenter foueto. Aliud quo usus est Charles. Amygdalarum „  
 amararum purgatarum drachmæ duæ, lygi floris drachmæ duæ, peucedani radi- „  
 cis drachmæ duæ, menthæ uiridis aut siccæ drachmæ duæ, rutæ surculorum dra- „  
 chmæ duæ, baccarum lauri purgatarū drach. iiij. serpylli drachmæ duæ, spondylij „  
 drachmæ duæ, castorei drach. duæ, rosarum uiridium aut siccaram drach. iiiij. aceti „  
 heminæ duæ, rosacei quod sufficit: præparato & utitor, quemadmodū dictum est. „

*Pastillus ad capitis dolorem, quo usus est Antonius herbarius, multam  
 habens medicinæ experientiam.*

*Liquoris peucedani drachmæ sex, lachrymæ papaueris drach. quatuor, croci „*

» drachmæ quatuor, myrrhæ drachmæ quatuor, scammoniæ drachmæ quatuor.  
 » Omnia lœvigate ex aceto in pastillos coguntur, siccanturq; in umbra: cum usus exi  
 » git, dissolutis ex aceto, frontem usq; ad ultraq; tempora illinito: si febris adest, aqua  
 » utens inungito. Ut autem Alexander usus est, ita habet: Peucedani radicis aut li-  
 » quoris drachma una, croci drachma una, myrrhæ drachma una, opij drach. una;  
 » aceto excepta in pastillos cogito: ubi opus fuerit, aceto dissoluēs, locos sensui expo-  
 » sitos oblinito. Aliud Antigonum, cum in exercitu insigniter rem medicam exerce-  
 » ret. Baccarum lauri siccum, lœvum, purgatarum drachmæ quatuor, scammo-  
 » niæ drachmæ quatuor, liquoris papaueris drachmæ quatuor, opij seminis drach.  
 » octo, croci drachmæ octo, myrrhæ drachmæ quatuor, omphacini drachmæ qua-  
 » tuor, serpylli drachmæ octo, aceti quod sufficit, preparato, ac utitor sicut prius  
 » comprehensum est.

*Epidema diu ex capite dolentium, quo usus est Charicles.*

» Irini unguenti expressionis, peucedani, castorei, singulorū pars una, baccarum  
 » lauri pars una, uiticis seminis pars una, rosarum siccum pars una, rutæ surculo-  
 » rum partes quatuor: aceto resoluta excipiuntur cerato, quod ex rosaceo præpara-  
 » tum est: deinde in linteolum illita, capillis derasis toti capitū imponuntur, & fascio-  
 » la deligata usq; in sequentem diem seruantur, rursumq; imponuntur. Aliud uehe-  
 » menter generosum. A mygdalarū amararū, lygi floris, peucedani radicis, mentha-  
 » uiridis, rutæ surculorum, baccarum lauri, serpylli, spordylij, castorei, singulae par-  
 » tes, rosalum partes duæ: præparato & utitor, ut expositum est. Post commemo-  
 » rata superius, tradidit Archigenes, Apollonius et Asclepiades medicamenta, que  
 » partim per os, partim per nares caput purgant. Quæ autem Archigenes conscri-  
 » plit, ita ad uerbum sonant.

*Archigenis de medicamentis que pituitam per os educunt, & naribus infunduntur:*

*hæc ἡρεύχυτα, illa ἔρφλεγματισμος Graeci uocant.*

» Post hæc apohplegmatismi exhibentur ex sinapi, authyssopo cum passo deco-  
 » cto, aut uuis passis cum piperi contrito, aut melle oleo mixto, aut herba pedicula-  
 » ria seorsim cum melle contrita. Hæc sane Archigenes inter capite dolentium re-  
 » media. Apollonius ijs adiecit quæ ad dentium dolores inscribuntur, in primo de-  
 » paratu facilibus remedijs libro, hoc modo ad uerbum scribens: Medicamenta, quæ  
 » ad dentium dolores naribus infunduntur: Betae radicis succum ipsum per se nari-  
 » bus instillato, & dentium dolores soluit. Aliud. Cumini quantum tribus digitis  
 » comprehendendi possit, myrrhæ fabæ instar, cucumeris sylvestris medullæ duplicata  
 » portione, trita & lacte muliebri mixta in collyria redigito, & utriq; narium demit  
 » tito: deinde sic attrahere iubeto, tandem quam quis quinq; stadia perfecerit; dein-  
 » de emungere. Medicamentum hoc etiam aurium dolori facit.

*Asclepiades in primo exteriorum in hæc uerba scripsit.*

» Asclepiades de medicamentis, quæ naribus infunduntur, sternutamenta cœnt,  
 » & pituitam per os educunt. Quæ caput purgant per nares, ἔρφλεγμα dicuntur: faciunt 40  
 » etiam ijs, qui longa lippitudine infestantur: item comitialibus multam humidita-  
 » tem educunt. Melanthij siccæ drachmæ octo, salis ammoniaci drachma una, elate-  
 » rij drachma una: trita & in lœuorem tenuissimum coacta, excipiuntur oleo cucu-  
 » merino, aut unguento irino, aut cyprino, ut cerati liquidi habeant spissitudinem:  
 » & pyxide cornea condens utitor, nares sublinens, iubetoq; attrahere. Aliud citra-  
 » molestiam purgans, dolorē statim discutit. Cyclamini siccæ drachmæ octo, iridis  
 » aridae drachmæ duæ, nitri rubri drachma una. Ego elaterio usus sum. Trata dili-  
 » genter inspirato per fistulam, adhortans ut sursum attrahat, deinde deorsum in-  
 » clinet, ut humor qui coaceruatur, effluat. Post hæc Asclepiades ad istam senten-  
 » tiā scribit.

Deijs

De ijs quæ sternutamenta cident.

Sternutamenta caput purgantia Heraclidis Tarentini. Cumini Aethiopici, pī peris albi, struthij, hoc est, herbæ lanariae, castorei, singulorum paria pondera; con tusa cibrataç pyxide ærea reponito: cum usus postulat, pyxide adaperta nari bus applicato, aut digitis attingito, aut calamo inspirato. Aliud. Gingiberis drachmæ duæ, struthij drachmæ duæ, piperis albi drachma una, casiae drachma una: in modum prædictum utitor. Ad ueterem capitum dolorem medicamenta quæ sternutamentum prouocant, Ptolemæo autore, faciunt uertiginosis & comitalibus. Veratri albi drachmæ quatuor (in alio una) cucumeris syluatici radicis drachma una, struthij drachma una, nitri rubri drachma una, castorei drachma una, piperis albi drachma una; utitor ut dictum est. Aliud. Veratri albi, cucumeris syluatici radix, struthij, singulorum partes duæ, castorei, acori, nitri rubri, cumini aethiopici, singulae partes, euphorbij pars una. Lævibus utitor, ut expositum est. Postquam Asclepiades de ijs quæ sternutamento uacuant prius differuerisset, his uerbis scripsit.

Quæ mansa caput purgant, multum humiditatis educunt.

Piperis albi drachmæ duæ, herbæ pediculariæ drachmæ duæ, casiae drach. duæ. Excipiuntur uua passa acinis exemptis, aut ficuum pinguium carne, danturç den tibus conterenda. Oportet autem eos qui mandunt deorsum inclinare, & ex inter uallo hiare, ut humor qui colligitur effluat: deinde aquam calentem ore cōtinere. Quod si rosio multa excitetur, diu ut contineatur exhibenda est. Aliud. Herbe pediculariæ, pyrethri, piperis albi, hyssopi, cardamomi, singulorū par modus, polen tæ duplicatus: aqua maceratis utitor in modum prædictum. Quæ subsequuntur medicamenta, nonnullis quidem præceptores usos esse noui, nonnullis amicos: quædam etiam ipse usurpauit, ut longa experientia perscrutarer, id ne, quod promittunt, efficiant. Sunt autem subscripta. Cucumeris agrestis foliorum succus naribus instillatur, & ipse priuatim, & cum betæ decocto, aut succo. Aliud. Myrrha melle cocta naribus infunditur. Aliud. Aloës, nitri, melanthij, paria pōdera, cum oleo ueteri, ut sordium fiat spissitudo. Aliud quod manditur. Nitri unciae sex, anisi unciae quatuor, herbæ pediculariæ unciae tres, lauri folia uiridia, & uuae passæ do mestice acino exempto pares modos excipito, ex hac mistura pastillos fingito qui tres drachmas pendeant, ut cum usus uocat, singuli mandantur. Aliud quod naribus infunditur. Euphorbij drachma semis, thapsiæ drachma una, iridis drachma una, mellis cocti drachma una semis, betæ radicis succi quod sufficit: ex hoc accipiens milij magnitudinem aqua diluito, specillo exceptum naribus instillato. Aliud quod naribus inditur. Cyclamini succi cyathi duo, hederæ foliorum succicya thus unus, peucedani obolus unus, elaterij tantundē, uitreo uase reponuntur: cum usus exigit, lacte muliebri dissolutum naribus infunditur. Aliud. Myrrhæ unciae quatuor, euphorbij totidem, piperis albi grana uigintiquinq; ubi myrrhā aqua prius dissolueris, & euphorbium, misceto piper laue, & olei gleucini uncias sex adiçito, atque sic utitor. Aliud quod naribus infunditur, pituitam per os abunde educens. Olei communis sextarij duo, saponis libra una, resinæ frictæ libra una semis, opopanaxis uncia una: anchusa colorato, & ore prius aqua repleto utitor. Aliud quo os oblinitur. Saponem betæ succo solutum, palato, & oris uuae illinito. Idem hoc etiam naribus inditur.

Quæ Crito prodiderit in libro de medicamentis primo, ita sonant apophlegmatismi.

Herba pedicularia priuatim mansa, & cum pulegio. Aliud. Herbæ pediculariæ & origani singula acetabula, nitri drachmæ duæ: lauia dato cochlearis instar mandenda, donec os repleatur, deinde hians sinito effluere. Aliud. Origani unciae quatuor, hyssopi drachmæ quatuor, herbæ pediculariæ drachmæ quatuor, aphro nitri drach. duæ, sinapi drach. ij. pyrethri drach. tres, leuigatis utitor. Aliud. Sinapi

» pars una, herbae pediculariae pars una: contusis utitor. Hoc pharmacopolę utuntur.  
 » Aliud. Hyssopo, thymo, origano, & per se, & simul utitor. Aliud. Cucurbitae syl-  
 » uestris medulla in aceto cocta, humore in ore diutius cōtentio, aut cucurbita uino  
 » macerata diutius. Aliud. Allia cum erucae semine & nitro. Aliud. Herbae pedicu-  
 » lariæ drachmę septem, pyrethrī drachmę quatuor, hyssopi drachma una: ubi con-  
 » tudoris orbiculos singito, qui singuli drachmam pendeant, ac dato mandendos.  
 Critonis medicamenta, quae in arquatis in nares mittuntur. Medicamentum quod  
 naribus inditur, ἐργάνων vocant, excernit per nares & os. Ne metuas autem, si excale-  
 faciat, aut exasperet palatum, nam recorporatitium est. Herbae pediculariae dra-  
 chma una, melanthij drachmę tres: leuigata ex aceto, ut medicamentum sordibus 10  
 fiat liquidius, naribus ad dies quinque infundito, donec expurgatę fuerint: facito au-  
 tem quotidie. Aliud. Hederae folia decem conterito ex oleo, donec sordium fiat  
 spissitudo, & naribus similiter instillato. Aliud. Summè facit etiam in ipsis elate-  
 rium naribus inspiratū. Qui uero citra noxam quid uoleat facere, in solium calentis  
 aquae insidet necesse est, atq; ita toto immerso corpore præter faciem, elateriū in-  
 spiret: educit enim per nares bilem copiosam. Aliud. Elaterium erui magnitudi-  
 ne, muliebri lacte solutum naribus infundito: atq; ubi facta fuerit purgatio, collo-  
 cato in solium, & absterito, & uictus ratione recreato.

*Quæ Aeneas prodiderit ab experientia ad apoplegmatismum.*

Hæc expertus sum Aenea utente, à quo etiam scripturas accepi. ἐργάνων pituitā 20  
 educens. Saponis librę sex, adipis caprilli libra una, ceræ libræ tres, picis aridae un-  
 ciae quatuor (alijs unciae tres) nitrī tantūdem, lixiūnū stillatitij acris cyathi duo: aqua  
 dissoluito, & utitor specillo infundens, ac iubeto attrahere: prius autem foueto ca-  
 put irino, & post usum multa frequenter gargarizet. Aliud. Euphorbij drachmę  
 sex, lycij indici drachmę quatuor: betæ succo excipiuntur, & melle, soluunturq;  
 aqua, aut lacte. Aliud. Cyclamini succi cyathi duo, hederæ capreolorum succi cya-  
 thus unus, peucedani liquoris obolus, elaterij obolus unus: utitor in balneo cum  
 lacte muliebri. Aliud. Pyrethrī, piperis, hyssopi, pediculariae herbae, pares modos:  
 singito pastillos drachmam pendentes, singuli mandentur, & post purgationem  
 sale et melle curatio absoluat. Sternutamento purgantia. Piperis albi, ueratri albi, 30  
 castorei, euphorbij, herbae lanariae, cyclamini succi aridi, paria pondera naribus  
 prius irritatis pinna inspirato.

*De omnium ualentium medicamentorum usu.*

Quem de predictorum medicamentorum usu se monem dixero, hunc ad omnia  
 Non auspicant alia, quæ ualidam uim obtinet transferre oportet: quippe ualentissima non statim  
 dum à ualentissimi ab initio admouere conuenit, sed ab imbecillioribus auspicari. Quinetiam ipsa ua-  
 lida medicamenta dum lenium mistura mitescunt, mediocria redundunt: atq; id  
 circa ego lacte muliebri recenti leuigans ipsorum quedam, & aqua, mox oleo dulci,  
 deinde betæ succo & anagallidis quæ ceruleum florē representat, ita uicissim utor.  
 Postremo & ex opobalsamo hæc conterens admoueo, primum sanè lac miscens: 40  
 ubi autem hoc facile tulerit, etiam sine lacte. Cæterum frequenter usus sum quod  
 naribus infunditur melanthio, faciliter paratu medicamento, interim aceto acri pri-  
 die macerans, deinde postero die cum aceto rursus leuigans, & in nasum per fora-  
 mina infundens, aut ægrotum id sursum attrahere præcipiens: interim oleo ueteri  
 idem melanthium lauigans similiterq; utens. Ita igitur ipso usus est etiam Archi-  
 genes in narium obstructione, superiori autem Crito ex aceto in arquatis.

*De Hemicrania.*

Affactus in dimidia capitū parte, nunc dextra, nunc altera dolorificus oritur,  
 qui sutura secundum ipsius longitudinē exorrecta distinguitur, & plurimū per  
 circuitum intenditur. Causa doloris est, vaporum aut humorum uel copiosorum,  
 uel

uel calidorum, uel frigidorum influxus. Nonnulli sanè in temporum muscularis ue  
hementer dolent, ac plures sunt qui ita dolent: nōnulli dolorem longissimè ascen-  
denter experientur, ac quidam uehementer adeò dolent, ut ne manus quidem ex  
facili tolerent; in quibus membranam caluariae circundatam, quam pericranium  
appellant, affici omnibus manifestum est: ita tamen, ut ne cutis quidem in totum  
ab affectu sit immunis. Constat igitur uaporum qui delinquent, aut humorū, aut  
amborū influxū, uel per uenas, uel arterias, uel per utrasq; fieri; interim sanè ipsis  
solis caluariae partibus internis, hoc est, cerebro, & eius membranis recrēmēta sua  
foras propellētibus, interim infra caput corpore uapores aut humores prauos sur  
sum mittēte. Quocirca etiam hemicrania curare aggressus aliquis, inspiciat prius  
quali indigeat purgatione, aut sanguinis dimissione eger: deinde sic ad capitīs ipsi  
us perueniens auxilia, tum propriæ manus digitis, tum linteo dimidiā frontis  
partem, & præsertim qua musculus temporū existit, infribans calefaciat, idq; ante  
accessionis horas: post hanc autem medicamentis utatur, quæ à medicis hemicra-  
nica uocantur. Si calor multus in doloribus percipitur, ijs quæ aliquid habent refri-  
geratorium: si ille non adest, ijs quæ uehementer calefaciunt. Misceatur aut utrīsq;  
aliquid corroborans, astrictoria scilicet facultate præditum. Miror autem quo-  
modo nec Apollonius, nec Archigenes, nec Asclepiades post medicamēta ad ca-  
pitīs dolores inscripta, tradiderint etiam aliquid de his, quæ hemicranica dicun-  
tur. Conueniebat enim eos, et si nihil in ipsis proprium est, eo quod in sermone de  
capitīs dolore comprehenduntur, hoc ipsum quoq; significasse. Consimiliter autē  
& Heras & Crito de hoc affectu copiosius differere neglexerunt. Quibus autem  
in ueteratis capitīs doloribus auxiliāntur remedīs, eadem etiam hemicranicis esse  
præsidia indicant. Itaq; Heras in libro medicamentorio, per initia statim in hunc  
modum ad capitīs dolorem scribit.

Ex commentarijs Heras ad capitīs dolorem.

Crocomagmatis pars una, gallæ pars una: laeuigata cum uino fronti illinito, &  
temporibus. Pastillus ad capitīs dolorē summe faciens, si bis ter uel ad utraq; tem-  
pora usq; illinatur. Croci drachmæ quindecim, chalcanthi drachmæ decem, alumī  
nis scissi drachmæ tredecim, myrrhæ drachmæ tres, opij drachmæ tres, omphacij  
drachmæ tres, chalcitidis drachmæ tres, gummi drachmæ quindecim. Læuigatis  
his uini austeri falerni quod sufficit adiūcito: terito ut collyriū, deinde in pastillos  
redigito: ubi necessitas erit, posca dissoluens aut acetō utitor. Malagma ad capitīs  
dolorem. Aeruginis rasæ drachmæ quatuor, æris cōbusti drachmæ duæ, squamæ  
stomomatis drachmæ duæ, cimoliæ drachmæ quatuor, chalcitidis drachmæ qua-  
tuor, pumicis crudæ drachmæ quatuor, terebinthinae uncia una, ceræ drach. trigin  
tæ septem semis, olei ueteis cyathi duo: aridis laeuissimis liquida superfundēs, emol  
lito & utitor. Quod si medicamentū durius esse uideatur, oleo amygdalino emol  
lies. Hæc sanè Heras ad capitīs dolorem conscripsit. Utuntur autem ipsis nōnulli  
in doloribus alteram capitīs partem infestantibus, sicut & alijs medicamētis, quæ  
enumerati uiri ad ueteres capitīs dolores prodiderunt; non tamen per totam fron-  
tem extendunt medicamentum, sed per solam particulam affectam. Nostrorum  
uero præceptorum uni mos erat ad inueteratas hemicranias hoc uti medicamēto:  
Piperis albi drachmæ due, crocomagmatis tantudem, euphorbij drachma semis,  
utitor. De euphorbij uirtute iam antea, cur citio exoluaf, exposui. Oportet igitur  
in huiusmodi medicamenta non uetus iniçere. Ceterum quod recens albidius sit,  
uetustate autem ad flaviorem aut pallidiorem colorem conuertatur, à me dictum  
est. Si autem non adeò uetus sit euphorbium, sed bimulum aut trimulum, dupli-  
catam eius portionem indes, hoc est, drachmam unam. Quemadmodum uero eu-  
phorbiū recens iniçendū est, ita etiam stercoris columbae drachma semis, puta

montanas columbas quae in turribus nutriuntur, sibi ipsis alimento suppeditantes, non ut in urbibus quae domi aluntur. Quinetiam atramenti scriptorij aequalis portio columbarum sterori inditur, hoc est, drachma semis atramenti: atramento & hic nostro Pergameno indito, quo semper praceptor usus est. Itaque uel illud ipsum ex Pergameno atramentum iniucere oportet, uel aliquod optime preparatum: & mixta haec omnia macerare, et aceto quamacerrimo immergere: levigata, musculo temporu, & toti frontis parti dimidiæ & affectæ, capitis regioni delinere.

Aliud medicamentum non solum hemicraniae efficax, sed omni quoq; capitis dolori inueterato: si illinatur in capitibus quidem dolore toti fronti, in hemicranijs aut dimidiæ parti capitibus affectæ. Croci drachmæ quindecim, chalcanthi drachmæ de 10 cem, aluminiis scissi drachmæ tres, myrræ drachmæ tres, opij drachmæ tres, omnipacij drachmæ tres, gummi drachmæ quindecim: laevigatis omnibus uinum falernum addito, & rursus instar collyrij deterito: deinde pastillos formatos, cum usus uenit, posca diluito, uel aceto, & illinito. Aliud ad easdem dispositiones. Scammoniae drachmæ sex, croci drachmæ duæ, hederæ comæ drach. sex, sulphuris uiui drachmæ quatuor, anisi seminis drachmæ octo, apij seminis drachmæ octo: laevigata diligenter ocymi succo formato. Hoc copiosiori rosaceo solutum, capitibus fortius efficitur lethargicis utilis. Aliud medicamentum non solum in iisdem conueniens, sed etiam uertiginosis idoneum. Peucedani radicis drachmæ quatuor, iridis illyricæ drachmæ duæ, æruginis drachma una, acori drachma una, spondylj dra- 10 chmæ quatuor, piperis nigri drachmæ duæ semis, castorei tantundem, serpylli drachmæ quatuor semis, myrræ drachmæ duæ, baccæ lauri numero triginta quinq;, rutæ uiridis drachmæ octo, menthae uiridis drachmæ quatuor, opij drachma una, aceto excepta in pastillos cogito, cum usus exigit, aceto et rosaceo subacta illinito: exceptum uero cerato ex rosaceo malagmatis modo imponitur. Pastillus non solum hemicrania laborantes, sed etiam coxendicum dolores iuuans. Thapsiae drachmæ tres, euphorbij drachmæ quatuor, liquoris medici drachmæ tres, myrræ drachma una, opopanaxis drachma una: simul contusa formato, deinde in usu aetate subigens illinito. Haec sanè medicamenta sunt composita, cæterum ego frequenter usus sum ipsis meopte ingenio simpliciter ex euphorbio unguine, cerae momentum adiiciens, ut crassescerent. Sufficit autem in olei libram, uel sabinij uel aliquius ei persimilis, tres ceræ uncias immittere, et unam euphorbij: atq; hoc dimidiæ frontis partem, cum temporum musculis delinere. At in quibus à calidis vapori-

bus aut humoribus hemicranicum generari dolorem suspiceris, hoc medicamen-  
tum non applicato: ijs autem qui à frigidis causis infestantur, uti-

lissimum est, ut frequenter semel ante balneū illitum statim affe-

ctui medeatur, & agrotantes omnino post lauacrum sanifi-

euadant. Optulatur his etiā in aures instillatū oleum

tepidum, euphorbio modico in librā unā inie-

cto. modicū hoc dimidia est uncia, cū ua-

lidū fuerit euphorbiū: sin minus, eti-

am plus iniucere cōuenit. In cor-

poribus sensu acri præditis,

etiā si minus unciae di-

mido indas, me-

lius feceris.